ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

XIX.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1895.

HYMNI INEDITI.

Liturgische Hymnen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.

Vierte Folge

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1895.

JUN - 8 1938

10799

VORWORT.

Vorliegendes Heft der Analecta setzt die Veröffentlichung liturgischer Hymnen aus den handschriftlichen und gedruckten Quellen des officiellen Chorgebetes fort und schliefst sich inhaltlich dem XII. (beziehungsweise dem XVII.) Hefte der ganzen Sammlung an.

Schon früher ist darauf aufmerksam gemacht worden, in welchem Sinne und mit welchem Rechte diese Hymnen als inediti bezeichnet werden. Vgl. IV, 5 u. f.; XII, 5. Es genügt, glaube ich, Mifsverständnissen zu begegnen, auf das dort Gesagte zu verweisen. Namentlich habe ich geglaubt, keinen Anstand nehmen zu sollen, aus so selten und schwer zugänglich gewordenen Werken wie Colgans Trias Thaumaturga, Messinghams Florilegium u. a. einzelne Lieder zu wiederholen, um so mehr, als meist weitere Quellen zu Rate gezogen werden konnten.

Vielleicht ist es nicht unangebracht, eine andere Bemerkung hier anzufügen. So leicht es meistens in Bezug auf die spätere Zeit ist, Liturgisches und Nichtliturgisches zu unterscheiden, so schwierig ist dies mit Rücksicht auf eine verhältnismäfsig geringe Anzahl früherer lateinischer Dichtungen, die uns in Sammlungen des neunten bis elften Jahrhunderts erscheinen und eine auffallende Verwandtschaft mit der mozarabischen Hymnendichtung, eine noch auffallendere vielleicht mit der altirischen zeigen. In diesen Sammlungen liegen offenbar liturgische Stücke mit ebenso offenbar nichtliturgischen zusammen, während eine Anzahl anderer mit nicht genügender Bestimmtheit sei es der einen, sei es der andern Klasse sich zuweisen läfst. Manche derselben haben zweifellos eine Art Zwitterstellung behauptet.

Die Liturgie überhaupt war in der Zeit ihres Entstehens noch mehr im Flufs und im Schwanken, und namentlich die Mönche jener Tage gefielen sich darin, manches in der Liturgie zu verwerten, was streng genommen derselben nicht angehörte. So mögen manche dieser meist langen, vielfach abcdarischen Hymnen eine ähnliche Stellung gehabt haben, wie sie die verschiedenen „Versus“ der Sankt Galler, Notkers, Ratberts, Hartmanns u. s. f. bei Prozessionen, Empfang geistlicher und weltlicher Würdenträger und ähnlichen Veranlassungen einnahmen. Diese Prozessionshymnen, Hymnen ad mandatum, Hymnen, die bei Tische statt oder nach dem Gratias, im Kapitel u. s. w. gesungen wurden, müssen der eigentlichen Hymnendichtung im Gegensatze zu den Reimgebeten beigezählt werden.

Wien, den 12. September 1894.

Guido Maria Dreves.

I.

DE DEO, DE BEATA, DE COMMUNI.

BQ
5253
.A5

1. De ss. Trinitate.

1. Unum in tribus colimus
Personis Deum paribus,
Patrem, natumque spiritum,
Omnipotentem Dominum.

2. Genitor est ingenitus,
Ex quo est unigenitus,
A quibus exit inclitus
Amborum par paraclitus.

3. Pater est, qui creavit nos,
Filius qui redemit nos,
Paraclitus illuminat,
Qui creata vivificat.

4 Pater nos coelis invehat,
Filius sibi uniat,
Sic spiritus inluminat,
Quatenus hoc complaceat.

5. Benedicat nos genitor,
Sanctificet nos genitus,
Intima nostra spiritus
Examinet propitius.

6. Laus patri nostra jubilet,
Laus proli nostra personet,
Honor, decus spiritui
Tempore sine saeculi.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109.

2. De ss. Trinitate.

1. Ave colenda trinitas,
Ave perennis unitas,
Pater Deus, nate Deus
Et Deus alme spiritus.

2. Haec tibi nunc gratuita
Depromimus praeconia,
Quae tibi sint gratissima
Et nobis saluberrima.

3. Te trinum semper laudamus
Atque unum adoramus,
Tuae dulcis clementiae
Sentiamus munimina.

4. O trinitas, o unitas,
Adesto supplicantibus
Et angelorum laudibus
Admitte, quod persolvimus.

Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 11. Cod. Londinen. Jul. A. VI. — 2, 3 gravissima. — Vgl. Stephenson, p. 146.

3. De ss. Trinitate.

1. Regis aeterni decus atque lumen,
Supplici voto modulemur omnes,
Qui regit totum pietate mundum
Factor et auctor.

2. Astra qui caeli numeris recensens
Aequoris fraenat tumidi procellas,
Plebis humanae moderatur agmen
Jure perenni.

3. Visitat caros monitis paternis,
Visitat clemens etiam flagellis
Principes terrae, probra qui coercet
Lege potenti.

Cod. Capit. Veronen. 90. saec. 9. — 2, 2 procellis. — 3, 3 fehlt eine Silbe; qui ergänzt. Dieser Hymnus ist schwerlich vollständig, sondern wohl nur Bruchstück eines längeren Liedes.

4. In Laudem Trinitatis.

Versus Godiscalchi.

1. Ut quid jubes, pusiole,
Quare mandas, filiole,
Carmen dulce me cantare,
Cum sim longe exsul valde
Intra mare?
O cur jubes canere?

2. Magis mihi miserule
Flere libet puerule,
Plus plorare quam cantare;
Carmen tale jubes quare,
Amor care?
O cur jubes canere?

3. Mallem satis, pusillule,
Ut velles tu, fratercule,
Pio corde cum dolore
Mihi atque pro momento
Conlugere;
O cur jubes canere?

4. Scis, divine tiruncule,
Scis, superne clientule,
Hic diu me exsulare,
Multa die sive nocte
Tolerare;
O cur jubes canere?

5. Scis captivae prebiculae
Israeli cum nomine
Praeceptum in Babylone
Decantare extra longe
Fines Judae;
O cur jubes canere?

6. Non potuerunt utique
Nec debuerunt itaque
Carmen dulce coram gente
Aliena nostrae terrae
Resonare;
O cur jubes canere?

7. Sed quia vis omnimode,
O sodalis egregie,
Cano patri filioque
Simul atque procedenti
Ex utroque.
O cur jubes canere?

8. Benedictus es, Domine,
Nate, pater, paraclite,
Deus trine, Deus une,
Deus summe, Deus pie,
Deus juste;
Hoc cano spontanee.

9. Exsul ego diuscule
Hoc in mare sum, Domine,
Annos nempe duos fere,
Nosti fore, sed jamjamque
Miserere,
Hinc rogo humillime.

10. Huic cano ultronee
Interim cum pusione,
Psallam ore, psallam mente,
Psallam die, psallam nocte,
Carmen dulce
Tibi, rex piissime.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. — 7, 5 procedente.

5. De Nativitate Domini.

1. Nunc tibi, Christe, carmina laeta
Laude canamus pectore toto
Menteque pura, perpete voto.

2. Laus tibi semper, o Deus alme,
Mitis ubique, magnus in alta
Sede polorum, sanctus in aevum.

3. Unica patris almaque proles
Sophia, virtus, sola salutis
Spes, via nostrae pacis et auctor.

4. O Deus alme, altipotensque,
Nomine trinus namque, sed unus,
Te mane laudat terra polusque.

5. Qui patris alta sede per alvum
Virginis almum inviolatae
Natus in orbe nostra petisti.

6. O quam stupenda res fuit acta,
Conditor orbis est homo factus,
Est et creatus ipse creator.

7. Et Deus altus omnipotensque
Ubera suxit parvula matris,
Praesepe parvus pausat ut infans.

8. Qui regit omne atque cibavit,
Quidquid ubique vivit, ubique,
Namque per illum omnia constat.

9. Crevit ut aetas certa per annos
Terque decennis tinctus in undis
Gratia plenus Jordanis amnis.

10. Spiritus almus utque columba
Venit in illum, vox sonat atque:
En meus iste filius est jam.

11. Postque peregit plurima mundo
Signa salutis, suscitat atra
Morte peremptos mentis et actor.

12. Et pius auctor plurima perquam
Verba salutis fundit in aures
Dulcibus odis discipulorum.

13. Tempora cernens tota peracta
Curriculorum, ut redimeret
Sanguine fuso saecula cuncta,

14. Tunc homo Christus, agnus honestus,
Immaculatus, hostia pura
Sponte volebat namque moriri.

15. In cruce passus, inde levatus
Atque sepultus in monumento
Marmore tecto maximus heros.

16. Venerat ut post tristia facta
Tertia solis lux pia terris,
Surgit ab atra morte redemptor.

17. Cernit et illum turba suorum
Discipulorum et crucis almae
Vulnera dira vidit in illo.

18. Hoc fuit, utque totus in illum
Crederet orbis, quem quoque coeli
Scandere regna viderat alta.

19. Lausque et honor cui sit, rogo,
Semper cum patre summoque Deo,
Gloria, virtus jam sine fine.

20. Semina verbi sparge per orbem
Gentibus, ut te rite canentes
Laudibus ornent, dulcis amator.

21. Psallite summo, psallite regi
Psallite Christo, psallite Deo,
Psallite vivo, psallite vero.

22. Hosanna in altis, hosanna in astris,
Hosanna in arvis, hosanna in undis,
Hosanna in istis, o Deus odis.

23. Gloria patri, gloria nato,
Gloria sancto spiritui, qui
Summa potestas, sanctus in aevum.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. — 1, 2 Laudes. — 3, 1 prolis. — 3, 3 viae. — 7, 1 alte. — 16, 1 Venerat et. — 20, 3 ornant.

6. De Fecunditate sanctae Mariae.

R°. Venite et gaudete
Natum Christum Dominum.

1. A superna coeli parte
angelus dirigitur,
Ut Mariam fecundaret
de sancto spiritu.

2. Bene nata, desponsata
virgo pulchra nimium,
Pater elegit templum tale
filioque thalamum.

3. Clara producens stirpe
ex regali decore
Jesse virga de radice
florem nardus protulit.

4. Dum clamat per Isaiam
prophetalis nuntius:
In utero virgo habebit
parietque filium.

5. Ecce cogitante ipsa
Gabriel adnuntiat:
Ave, Maria sacrata,
te Deus inluminat.

6. Fecunda de templo pergens
ad montana properat,
Ad cognatam, ut audivit,
currit jam, ut poterat.

7. Gaudet infans gestiendo
intra ventris ambitum,
Creatorem summum sensit
adoratque Dominum.

8. Hic a Deo venit celsus
ex virginali utero,
Per quem mundus est ereptus
claudus atque naufragus.

9. Infans crescit, conditor, en,
infra ulnas gerulae,
Proficiensque aetate
decus sapientiae.

10. Kallidus hostis Herodes
zelat natum Dominum,
Ipsum quaerit interficere,
Joseph vertit Aegyptum.

11. Lugubris surrexit dies
matrum in infantia,
Crines pectoraque tundunt
in natorum funere.

12. Magi properant a longe
demonstrante sidere,
Trinitatem adorantes
redeunt ad propria.

13 Nihil valent artes dirae
a Dei potentia,
Finem Herodis testatur,
poenam mortis terminat.

14. Ornat mundum puer sacer
subditus parentibus,
Templo patris legit librum
de se ipso protinus.

15. Primum signum Gallilaeae
opera mirabile:
Laticem vertit in vinum
et Falernum nobilem.

16. Quibus mirans archisedens
testatur eloquio:
Meliorem reservasti
vinum in convivio.

17. Renovata cuncta Christi
exhibens ecclesia,
Desponsavit dote sacra
nostra gaudens tempora.

18. Solvit vincula humana,
quae peccator vinxerat,
Lignum vetitum elisit
cruce pendens trophea.

19. Tertia die surrexit,
fide nostra creditur,
Ad infernum properavit
pro multorum mugitu.

20. Venis tandem, benedicte,
Jesu bone, optime,
Relaxare, qui prolixo
trusi erant carcere.

21. Xristus mordet et infernum
morsuque mirifico,
Laureatus cum triumpho
revertit ad solium.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. — 1, 3 Marie. — 1, 4 fehlt nur scheinbar eine Silbe; zu sprechen espiritu. — 2, 3 Sprich: Pat'r elegit? — 2, 4 thalamo. — 3, 1 Sprich: estirpe. — 4, 1 clamare. — 5, 3 Maria virgo sacrata. — 6, 3 cognata. — 7, 2 ambitu. — 8, 2 Lies: virginali ex? — 9, 1 conditorem. — 10, 3 Sprich interfic're? — 11, 4 funera. — 12, 2 sidera. — 13, 2 valet artis dira. — 14, 2 Templum. — 14, 4 ipsum. — 16, 1 arcisedens; lies: archus aedis? Die Vulgata liest architriclinus. — 16, 2 eloquia. — 16, 4 convivium. — 17, 3 Sponsavit dote: es würde auch genügen, zu lesen esponsavit. — 17, 4 Lies entweder: nostro gaudens tempore oder nostra gaudent tempora. — 18, 1 Solve. — 18, 4 crucem pendens trophaeum. — 19, 2 fides nostra creditor. — 20, 1 Venisti. — 20, 3 prolixos. — 20, 4 truxierunt. — 21, 1 mordit ex inferno. — Vgl. du Méril III, 280.

7. In Epiphania Domini.

1. Audite omnes versum verum magnumque
De salvatore Christo Dei filio,
Cum in Bethleem natus fuit de virgine.
2. Benigna vox audita est ab angelo,
Quam Gabriel adnuntiat de virgine,
De introitu Christi Dei filii.
3. Concepit virgo de sancto et spiritu
Peperit filium, finem et principium,
Alpha et o, primum et novissimum.
4. Deus ab austro veniet sicut fulgur,
Ab oriente adorare Dominum
Et adorabunt Deum in perpetuum.
5. Erodes rex iratus erat nimium,
Infantes parvos jussit interficere
Propter Jesum, qui natus fuit de virgine.
6. Festinant magi adorare Dominum,
Aurum et thus offerebant munera,
Myrrham electam sepulturae Domino.
7. Gaudebunt sancti et gaudebunt angeli,
Gaudent prophetae, martyres et virgines
Propter Jesum, qui natus fuit de virgine.
8. Joseph in somnis apparuit angelus,
Ut in Aegypto fugeret cum Domino,
Quia Judaei volunt illum occidere.
9. Laetus permansit in corpus virgineum
Laeta Maria, quando parit filium,
Tristis est, quando ductus ad patibulum.

Cod. Capiten. Veronen. 90 (85) saec. 9. — 1, 2 De salvatorem Christum Dei filium — 2, 2 Quem Gabriel. — 2, 3 De introitum Christum Dei filium. — 3, 1 et ist jedenfalls zugefügt; zu sprechen espiritu. — 3, 2 Peperit filium filium principium. — 3, 3 Alfa et ho primus et novissimus. — 4, 1 venit. — 4, 2 adorare Dominum, irrtümlich aus 6, 1? — 5, 2 parvulos. — 6, 3 Myrrha electa sepultura. — 7, 2 prophetas. — 9, 2 Laeta fuit; peperit. — 9, 3 est virgo quando ductus fuit ad.

8. De Christo Domino.

1. Agnus et leo, mitis et terribilis
Aquila, vermis, excelsus et humilis.

R°. Salvator mundi, Christus, Dei filius,
Nobis ut fiat, precamur propitius.

2. Bonus magister, magnus pastor ovium,
Botrus in ligno portatus in eremum.

3. Coelestis Adam, fons vitae et ostium,
Custos Israel, vigil in perpetuum.

4. Deus et homo, primus et novissimus,
Dilectus Dei patris primogenitus.

5. Emanuelis nuncupatus nomine,
Erectum cornu David sancto semine.

6. Filius Dei, factus ex muliere,
Factus sub lege praesignato tempore.

7. Gaudium magnum ortum omni populo,
Gentium vitae sola exspectatio.

8. Haeres parentis, per quem fecit saecula,
Hostia sancta, medicus justitiae.

9. In majestate venturus cum angelis
Judicaturus de vivis et mortuis.

10. Kaput corporis totius ecclesiae,
Kaptivitatis redemptor de carcere.

11. Lapis electus, sanctum semen Abrahae,
Lux mundi, magna salus, sol justitiae.

12. Mons domus Dei in vertice montium,
Manus excelsa, dextera et brachium.

13. Natus pro nobis fructus ventris virginis,
Nuntius magni consilii et foederis.

14. Ortus ex alto, visitator hominum,
Ovis in modum ductus ad patibulum.

15. Panis coelestis, sacerdos et victima,
Petra percussa, verbum, sapientia.

16. Qui crucifixus surrexit a mortuis,
Qui interpellat pro nobis in caelis.

17. Rex magnus regum, dominus dominantium,
Regnans in domo Jacob in perpetuum

18. Spiritus vultus nostri, Christus Dominus,
Sub cujus umbra vivimus in gentibus.

19. Thronis et cunctis caelorum virtutibus,
Tribubus, linguis praesides et plebibus.

20. Unigenitus paternae substantiae,
Unctus a patre oleo laetitiae.

21. Xristus, pax nostra, una summa sanctitas,
Xilon aeternae vitae, virtus, veritas.

22. Ymnistae vili vita, resurrectio,
Dominus judex parcat in judicio.

23. Zoes ut claro ditatum denario
Zoton in sancto collocet consortio.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — Ein Lied von hohem Alter, wie namentlich 18, 2 beweist. Dasselbe ist (mit Ausnahme des Rundreims) ein doppelter Abecdarius; nur Y steht nicht doppelt, welches nicht erst zur Zeit des Wandsbecker Boten ein „böser Buchstabe“ war. — 16, 2 fehlt eine Silbe am Vers, 17, 2 hat eine desgleichen zuviel; vermutlich ist domnus zu lesen. — 21, 3 *Χίλων* oder *Χείλων*, einer der sieben Weisen. — 23, 1 *Ζωῆς*. — 23, 2 *Ζώνιων*. — Vgl. Duemmler, Rhythmorum ecclesiasticorum specimen p. 12.

9. De Nomine DN. Jesu.

Ad Completorium.

1. Splendor paterni luminis,
   Flos, decor matris virginis,
   Virtute tui nominis,
   Jesu, fer opem miseris.
2. Ab hostis fraude, furia
   Vi, dolo et astutia
   Per hoc nomen clementiae
   Nos salva omni tempore.
3. Resolve culpae vinculum,
   Confer salutem corporum,
   Restringe omne lubricum,
   Depelle omne noxium.
4. Tibi, Jesu, sit gloria,
   Honor, virtus victoria,
   Laus, gratiarum actio
   Cum patre et paraclito.

Officium integrum de Nomine Jesu juxta usum ab ecclesia receptum imp. Vesuntione 1590.

10. Ad Christum Oratio.

1. Spes mea, Christe, rex benedicte,
   Lux pia vitae duxque perite,
   Pastor amande seu venerande.
2. Summe creator et reparator,
   Sis mihi factor semper et auctor,
   Sis animator et recreator.
3. Tu jugis esto gloria servo,
   Perpes alumno vita misello,
   Semper adesto, rex pie, voto.
4. Respice flentem, quaeso, clientem
   Te metuentem atque petentem,
   Te vererantem, quin et amantem.
5. Porrige dextram, dirige vernam,
   Exue multam, postulo, culpam,
   Corrige vitam tu male tritam.
6. Tolle ruborem, mitte pudorem,
   Pelle favorem, funde nitorem,
   Velle rigorem daque vigorem.
7. Necte timorem, quin et amorem,
   Posco, perennem per genitorem,
   Qui regit omnem fortiter orbem.

8. Semper ubique, Christe, tuere
Et mihi, celse, tu miserere,
Daque timere atque amare,

9. Pervia sancta et scripta meare,
Corde vel ore hinc peragrare,
Perpeti mente hinc recitare.

10. Da meditari et modulari,
Ore proferre, corde operari
Et tibi regi da famulari.

11. Haec ego verbi munere summi
Atque corusci posco adipisci,
Pressus enormis mole piacli.

12. Christe, clienti consule flenti
Et, precor, audi vitam miselli,
Unice fili patris amandi.

13. Sedula dulci laus genitori
Et tibi proli, flamini et ipsi,
Perpes et uni laus deitati.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154 saec. 10. — 2, 2 lies fautor et autor? oder factor et actor? — 6, 3 lies Pelle rigorem? oder velle = evelle? — 8, 3 Teque timere. — 10, 2 proferri. — 11, 3 more.

II. In Transfiguratione DN.

1. Sancte Dei pretiose,
Christe unigenite,
Qui virtute viscerosae
Caritatis inclitae
Te monstrasti gloriose
Tuis, victor inclite.

2. In te summae majestati
Patris vox intonuit,
Spiritusque veritatis
In nube non defuit,
Nostraeque humanitatis
Gloria apparuit.

3. Fac nos omnes praegustare
Gloriae dulcedinem,
Qua possimus effugare
Peccati caliginem
Et demum videre clare
Tuam celsitudinem.

4. Gloria et honor Deo
Usquequa altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M. 21.

12. In Quadragesima.

1. In vesperi dictamine
Canentes sancto flamini
Carnis frigescant vitia
Sub virtutum peritia.

2. Fides sit nostrum jaculum,
Scutum et propugnaculum,
Lorica sit et galea
Vitae sub hujus alea.

3. Pax amica, concordia
Sub caritatis ordine
Muniat nostra pectora,
Nec nova fiant vetera.

4. Laus, patri sit et filio,
Sic vigilo, sic dormio,
Sit idem sancto flamini,
Peccatorum juvamini.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. — 1, 3 frigescat. — 3, 4 lies: Et nova? — 4, 2 lies: Si vigilo, si dormio?

13. De Corona Spinea.

1. Ingrata gens Judaica
Jesum vestit cum purpura
Et in vile opprobrium
Pungunt corona spinea.

2. Sanguis sacratus defluit
Per sanctam illam faciem
Et concretus heic horride
Foedat ejus caesariem.

3. Properat crucifigendus
Portans suam crucem Jesus,
Rex regum pro sceptro regni
Lignum portat supplicii.

4. Pendet in cruce Dominus
Duum latronum medius
Flens, clamans, plenus vulnerum
Patri commendat spiritum.

5. Miles perfodit lancea
Jesu corpus exanime,
Hinc fluxit salus hominis,
Aqua mixta cum sanguine.

6 Tunc matris cor virgineum
Dolor affligit nimium,
Quo urgente consternitur
Et filio commoritur.

7. Succurre nobis, Domine,
Quos redemisti sanguine,
Et duc nos ad coelestia
Per matris tuae merita.

8. Honor et benedictio
Jesu, Mariae filio,
Qui nos suo supplicio
Redemit ab exsilio.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510.

14. In Resurrectione DN.

Ad Sextam.

1. Captiva plorant tartara,
Erepta gaudent milia,
Qui nostra solvit vincula,
Dextra, precamur, libera.

2. Te summa Deus trinitas
Collaudet omnis spiritus
Qui ruptis mortis vinculis
Justis rependis praemia.

3. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

4. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. saec. 13. Cod. Parisin. 1287. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisin. 1278. B. — In A fehlt infolge Verletzung 1, 4 und 2, 1, sowie die ersten Worte (beziehungsweise Silben) der drei folgenden Zeilen.

15. In Resurrectione DN.

R°. Vere Dominus surrexit, pastor bonus.

1. Hic est dies, in quo Christi pretioso
Est in sanguine redemptus mundus totus,
In quo ovem, quae erraverat, pastor bonus
Ad ovile reportavit ulnis sacris.

2. Una sabbati surrexit valde mane,
Sic apparuit Mariae Magdalenae,
Quae discipulis occurrens nuntiavit:
De sepulchro resurrexit pastor bonus.

3. Mortis nuntium per stultam mulierem
A paradiso suscepit mundus olim,
Dignum fuit, ut per bonam mulierem
A sepulchro vitam mundus obaudiret.

4. Mors in orbem introivit sub peccato,
Quod commisit primus homo per mandatum
Et ab illo usque Christum perduravit,
Qui per crucem vitam mundi revocavit.

5. Adam vetitum cum lignum usurparet,
Mortem nobis propinavit, sed dum lignum
Christum crucis contrectavit, vitam nobis
In perpetuo firmavit et donavit.

6. Serpens callidus gularum fraude primum
In paradiso decepit protoplaustum,
Christus patri obedivit usque ad mortem
Et cum morte triumphavit sic serpentem.

7. Nam regnavit mors ab Adam et in eos
Quos non propria peccata polluerunt,
Sed sub vinculo delicti protoplausti
Descendebant ad infernum et electi.

8. Christus passus est pro nobis et auctorem
Mortis sua morte vicit et delevit
Mox chirographum peccati, quod infelix
Homo tulit a serpente, cum cecidit.

9. Nam cum caro in sepulchro quievisset,
Portas Tartari potenter Christus fregit,
Inde electos liberavit et in sanctam
Civitatem collocavit immortales.

10. Hoc mysterium quis possit aestimare?
Ante coelos nec electus penetravit,
Modo etiam latroni paradisi
Christus portas est dignatus aperire.

11. Judas impie, crudelis, latro dire,
Lupe rapax et immitis inimice,
Poenas lues sub gehenna infinitas,
Qui negare vitam mundi cupiebas.

12. Vita nostra resurrexit de sepulchro,
Cum qua simul resurrexit omnis mundus,
Sub his actibus perculsa inimica
Jam perisse sola modo mors regemat.

13. Gens nefanda Judaeorum tristis modo
Debet flere et in luctu permanere,
Quae dimittere latronem et petivit,
Auctorem mundi, clamabat, crucifige.

14. Nos oportet exsultare, viri fratres,
Et feliciter in Christo jucundare,
Qui purpureo cruore nos redemit
Et ad aurea coelorum regna misit.

Cod. Capit. Veronen. 90. saec. 9. — Der Rundreim steht dreimal geschrieben, nach den drei ersten Strophen; nur lautet er nach Str. 1 De sepulchro resurrexit. Diesen Vers habe ich zu Str. 2 gezogen, der sonst eine Zeile fehlen würde. — 1, 4 ovilem; a ulnis sacris. — 3, 1 muliere. — 3, 4 vita. — 4, 4 vita. — 6, 1 primus. — 6, 2 cepit; protoplausti. — 6, 4 Lücke von zwei Silben; morte ergänzt. — 7, 2 Quod non proprie. — 7, 4 Descendebat. — 8, 4 serpentem. — 9, 4 immortalis. — 10, 2 helectos. — 11, 2 et inimicus inimice. — 11, 4 negaret. — 12, 1 surrexit. — 13, 3 demittere; et pectavit. — 13, 4 Et auctorem. — 14, 1 exaltare. — Dieser Hymnus hat dasselbe Versmafs, wie das schöne, noch heute gebräuchliche Lied ad Mandatum, Analecta XII, 24, das sich in ebendieser Handschrift findet und augenscheinlich vom gleichen Verfasser herrührt. Von welchem?

16. De Resurrectione Domini.

1. Tristis venit ad Pilatum
Pastoris discipulus,
Quem Joseph dudum parentes
Dixere cognomine.

2. Corpus petiit magistri
constanter et abiit,
Tollens munda crucifixum
involvens in sindone.

3. Locans novo in sepulchro,
quod sibi paraverat,
Posuit, quod et ingenti
mole clausit lapidis.

4. Tertia de quo resurgens
die, sicut dixerat,
Semet ipsum demonstravit
primum mulieribus.

5. Quibus dixit ad moerentes
pergere discipulos
Et eorum de vivente
confortare viscera.

6. Moestis postea in via
duobus apparuit,
Quibus coepit scripturarum
aperire gurgites.

7. Sciri comes ille docens,
quis esset, nec poterat,
Tantum panis est ab eis
fractione agnitus.

8. Et progressi invenerunt
congregatos undecim
Et dixerunt, quod surrexit,
Christus, sicut dixerat,

9. Metu forte Judaeorum
clausis tandem foribus
Medium se praesentavit,
propheta ut tradidit.

10. Ego sum, nolite flere,
carnem meam cernite,
Spiritus qua caret almus,
qui caret et ossibus.

11. Coepit isdem panis vitae
quaerere, quid manderet;
Partem piscis obtulerunt
atque mellis pabulum.

12. Cum jussisset coram eis
sumere reliquias,
Haec sunt illa verba, dicens,
quae locutus fueram.

13. Impleri quoque oportet,
quae prophetae dixerant,
Moyses atque psalmista
de me quod cecinerant.

14. Oportebat Christus quoque
pati et resurgere
Triduum post, introire
propriam in gloriam.

15. Ite, dixit, praedicate
cunctis indulgentiam,
Solymorum circa fines
sumite primordia.

16. Tunc sodales sunt gavisi,
se vidisse Dominum,
Gaudio gavisi valde
pacem laeti capiunt.

17. Ego vos sicut me pater
mitto sicut miserat,
Hoc cum dixit, insufflavit
spiritumque tradidit.

18. Quando gessit ista Christus
non erat hic Didymus,
Cui ceteri dixerunt,
se vidisse Dominum.

19. Ille ait: hoc non credam,
nisi manus videro
Et in latus crucifixi
mox digitum misero.

20. Fores clausae dies octo
postquam Christum viderunt,
Decem erant congregati
et Thomas undecimus.

21. Venit Christus pacem portans,
praebuit se medium
Et Thomam de crucifixo
confortat incredulum.

22. Mitte manum, tange latus,
sis fidelis, Didyme,
Felix erit, qui non vidit
et credere potuit.

23. Leva tenent piscatores
et piscis non capitur,
Litus tenet salvatorem,
a quibus non creditur.

24. Rete jam dixitque Jesus
ad sinistram pellite,
Dextram trahit laborantem,
quem laeva neglexerat.

25. Dedit nox auroram lucis,
Christus mox agnoscitur,
Pisciumque multitudo
vix ad tellus trahitur.

26. Docet Petrum de magistro
tunc ille discipulus,
Domini qui supra pectus
in coena recubuit.

27. Nudus erat Simon Petrus,
tunicam succinxerat,
Cui praebet mare viam,
navi fertur socius.

28. Gloria aeterno patri,
gloria sit filio,
Gloria vivificanti
sanctoque spiritui.

Cod. Parisin. (ol. Martialen.) 1154 saec. 10. A. — Cod. Bruxellen. 8860—67. — Letzterer hat nur die 7 ersten Strophen, auf welche die Doxologie folgt. — 1, 2 pastores B. — 2, 2 constanter et habuit B. — 3, 1 Lugens novum in sepulchrum B. — 5, 3 Et eorum dubitantes B. — 6, 1 Moerentes postea in via B. — 7, 1 Scire B. — 7, 2 qui esse potuerat A. — 9, 4 prophetia tradidit A. — 10, 3 qui caret A. — 11, 2 quid mandarii A. — 13, 4 de me quod. A. — 16, 4 capiant A. — 24, 1 Retiam dixitque. — 25, 1 Dedit nos aurora A.

17. De Conceptione BMV.

1. Ave, virgo gratiosa
Et stella sole clarior,
Mater Dei gloriosa
Ac favo mellis dulcior.

2. Rubicunda plus quam rosa
Lilioque condidior,
Quantumcunque speciosa,
Nulla unquam te purior.

3. Tua, virgo, conceptio
Virga fumi fragrantior
Et tota conversatio
Balsamo redolentior.

4. Jesus Christus te coronat
In coelis eminentior,
Omnis sanctus de honorat,
Quia cunctis es sanctior.

5. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. Fontebraldense imp. Parisiis. 1546.

18. In Conceptione BMV.

Ad Vesperas.

1. Ave, maris stella,
Mater et puella,
Ex te lux est orta,
Felix coeli porta.

2. Sumens illud Ave,
Nos emundans a vae,
Confer onus levae,
Bona cuncta posce.

3. Solve vincla reis,
Regna praebens eis,
His veniat ne vae,
Mutans nomen Evae.

4. Monstrate esse matrem,
Nobis parans patrem,
Natus perpetuus
Vel qui manet tuus.

5. Virgo singularis,
Parens expers paris,
Nos in mundo natos
Mites fac et castos.

6. Sit laus ingenito
Ac unigenito,
Sancto paraclito
Trinus honor unus.

Brev. ms. Nemacense saec. 15. Cod. Roman. 1189. Sessor. 138. — 2, 2 emundans eve. — 2, 3 Confer omnis leve. — 5, 2 Parens et par paris.

19. In Conceptione BMV.

Ad Laudes.

1. O gloriosa domina,
Concepta vero femina,
Quae solem natum sidere
Lactasti sacro ubere.

2. Quod Eva tristis abstulit,
Tua bonitas contulit,
Ut nos coelo reduceres,
Coeli fenestra facta es.

3. Tu regis alti janua,
Concepta es in gloria,
Ut redderes vitae portae,
Gentes redemptae, plaudite.

4. Maria, mater gratiae,
Quae concepta es hodie,
Nos servos reple gratia
Et populum salvifica.

5. Gloria tibi, Domine,
Nato concepta virgine,
Cum patre, sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Nemacense saec. 15. Cod. Roman. 1189. Sessor. 138. — 3, 1 Tu regis alta janua filia. — 4, 2 Concepta es ut gloriam. — Et redderes vitae pro te (l.: protae, *πρώτη*?).

20. In Conceptione BMV.

Ad Laudes.

1. In tuae matris utero
Te, virgo, sanctus spiritus
Sic praeservavit, quod vero
Peccatum nescis penitus.

2. Alma cunctis virtutibus
Ditata lapsos respice,
Ut tuis sistant precibus
Securi coram judice.

3. Tu petra fundem oleum,
Nobis salutem tribue,
Tu vas splendoris aureum,
Caecis lumen restitue.

4. Aurora surgit rosea,
Obscura nox repellitur,
Tela exstinguit ignea
Sacra virgo, cum nascitur.

5. Coeli pandatur janua
Nobis, Maria, propere,
In gaudia perpetua
Intremus tuo munere.

6. Patri, nato, paraclito
Laudes canamus jugiter,
Christus Mariae merito
Coronet nos perenniter.

Brev. ms. Fratrum S. Johannis saec. 15. Cod. Massilien. Eb 302. — 1, 3 Sic servavit.

21. In sanctae Mariae ad Nives.

In 2. Vesperis.

1. Quem pia virgo genuit
Sacro perfusa spiritu,
Regi perennis gloriae
Hymnum canamus jugiter.

2. Quem semper super sidera
Laudat coelestis curia,
Sanctae Mariae virgini
Grates reddendo debitas.

3. Haec virgo venerabilis,
Prole fecunda nobili,
Locum elegit inclitum
Suo sacrandum nomini,

4. Quem praeter morem solitum
Mensis Augusti tempore
Pressis solis ardoribus
Totum replevit nivibus.

5. In visione docuit
Tanti causam mysterii,
Solemnis habitaculi
Benigne pandens ordinem.

6. Hic templum solemnissimum
Fundat papa Liberius,
Opes dispensat largius
Johannesque patricius.

7. Nos tuos salva famulos,
Christe, natus de virgine,
Qui pie festa colimus
Tuae matris sanctissimae.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 201. — Brev. Patauiense imp. Venetiis 1515. B.

22. De Laude sanctae Mariae.

R°. Prece pulsemus Christi matrem Mariam,
Ut impetremus peccatorum veniam.

1. Auroram dictam sermone prophetico,
Ex qua sol verus ortus est justitiae.
2. Beatam domum dedicatam Domino,
Jussa ferente Gabriel archangelo.
3. Columbam inter sexaginta reginas
Et octoginta electas concubinas.
4. David praecelso parientem filium,
Cujus est thronus manens in perpetuum.
5. Egressa virga Jesse de radice est,
Florens complexa septeno spiramine.
6. Feminam castam circumdantem masculum,
Verbum a multis saeculi absconditum.
7. Gratia plenam, obumbratam coelitus,
Grato adventu sacrosancti spiritus.
8. Hanc imploremus, nostris in auxilium
Advocatricem esse apud Dominum.
9. Jordanen pleno redundantem gurgite,
Ripas complentem primi mensis tempore.
10. Kastam turturem, voce, vero sermone
Se profitentem virum non cognoscere.
11. Lilium inter spinas acutissimas,
Amicam sponsi solam inter filias.
12. Matrem ac sponsam, sororem et filiam,
Ancillam quoque regis magni Mariam.
13. Novit quae Christum, vexit nam in saeculum,
Nullo gravata pondere peccaminum.

14. Ovem, de cujus Dei venit vellere
Agnus, peccatum mundi hujus tollere.
15. Primam devote offerentem hostiam
Virginitatem Deo patri placitam.
16. Quam ante partum virginalem integram
Tam post servatam suae carnis coronam.
17. Rosam fulgentem castitatis robore,
Matrem spineam observantem honorem.
18. Stellam praeclaram coruscantem fulgore,
Tanto transacto noctis taetrae tempore.
19. Thalamum structum coelesti conjugio,
Septem suffultum columnarum numero.
20. Virginem Deum habentem in utero,
Isaias nobis praedictam oraculo.
21. Xristi pro nobis novis ac veteribus
Matrem precemur piam peccaminibus.
22. Ymnista fratre pro me licet misero
Soror exsistat suo supplex filio.
23. Zelum ut hostis antiqui et laqueum
In regione evadam viventium.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. — Nach jeder Strophe wiederholt sich der Rundreim; daraus erklärt sich, dafs die Anrufungen im vierten Falle stehen. — 1, 1 Aurora dicta. — 2, 1 Beata domus dedicata. — 2, 2 ferentem. — 3, 1 Columba; IX reginas. — 3, 2 Et IXXX electa sunt cubinas. — 5, 2 Flore compleno. — 6, 1 Femina casta. — 7, 1 plena obumbrata. — 7, 2 Gratus adventum. — 9, 2 mensi temporis. — 10, 1 Kasta turture. — 11, 2 Amica sponsi sola. — 13, 1 in sacculum. — 13, 2 Nullam gravata. — 16, 1 virginalis. — 17, 1 Rosa fulgentem. — 18, 1 Stella praeclara. — 18, 2 taetris corpore. — 19, 1 Thalamo structo. — 19, 2 Reptum suffultum columnarum numerum. — 20, 1 uterum. — 20, 2 oraculum. — 21, 1 Xristus. — 21, 2 pia. — 23, 1 antiqui in laqueum. — Der Verfasser dieses Liedes ist augenscheinlich derselbe, der Nr. 9 dieser Folge gedichtet hat.

23. De Omnibus Sanctis.

1. Exsultent coeli sidera
Quadrique orbis spatia,
Pontus et cuncta condita
Per haec sacra solemnia.
2. Regem laudant assidue,
Qui sanctos cunctos hodie
Palmis ornat victoriae
Coronis atque gloriae.
3. In sanctorum primordiis
Te decet, rex mirabilis,
Et principale jubilum,
Cunctae plebis obsequium.
4. Ter trinus in agminibus
Ordo fulget angelicus,
Per sua nos suffragia
Ad lucis ducant atria.
5. Patriacharum numerus
Et prophetarum cuneus,
Pro nobis rogent omnibus,
Ut simus unus populus.
6. Apostolorum caritas
Et martyrum societas
Nostras perducant animas
Mundas ad agni nuptias.

7. Confessores egregii
Atque doctores incliti
Ad suum nos consortium
Ducant post vitae terminum.

8. Maria, Christi thalamus,
Atque chorus virgineus
Cum sanctis simul omnibus
Solvat, quidquid peccavimus.

9. Ibi vera securitas,
Ibi summa felicitas,
Ibi est agni civitas,
Ibi regina caritas.

10. Ibi laus, honor, jubilum,
Decus, virtus, imperium,
Quo sine fine concinunt
Hymnum sancti mellifluum.

Brev. ms. Hispanicum saec. 11. Cod. Londinen. Add. 30848. 2, 3 ornant. — 3, 4 Et cunctis plebs obsequium. — 4, 4 Ad luce ducant. — 9, 3 est agni caritas. — Die Handschrift ist nicht mozarabisch, sondern römischen Ritus, wenngleich in westgotischer Schrift geschrieben.

24. De sanctis Apostolis.

1. Beatus Christi famulus,
Petrus, quoque apostolus
Insignis ac praecipuus,
Christi amore agnitus.

2. Quem ponti juxta litora
Christi occurrit gratia,
Mox ebrius qui spiritu
Corde reliquit saeculum.

3. Praeclarus mentis lumine
Post almae carnis tegmine
Cognovit Dei filium
Summique patris coaevum.

4. Fundamentum immobile
Et gloriosum vas idem,
Christus fixit in lapide
Ecclesiam firmissimam.

5. Potestatem praecipue
Coelique claves obtinet,
Ligandi in ecclesia
Atque solvendi gratiam.

6. Pastorem bonum et pium
Simon Johannis creditus,
Jesum, inquit, se diligere
Ejusque oves pascere.

7. Cujus sacratis gressibus
Umbra adharente corpori
Contactus quosque languidos
Mox faciebat prosperos.

8. In sede quoque optima
Sedet post Antiochia,
Roma cives ditissima
Nobilitavit gratia.

9. Cui deditque socium
Christus valde egregium
Paulumque nobilissimum
Virtutis magno thesauro.

10. Uterque victo Simone
Glorioso certamine
Sumpsit dejecto daemone
Coronamque martyrii.

11. Coruscatque miraculis
Et signis valde optime,
Virtutumque potentia
Punctum lustrant occiduo.

12. Germanus pari praeclarus
Et gloria splendidus
In orientis partibus
Andreas sorte est electus.

13. Elegit crucis tropheum
Ascendere post magistrum,
Cujus doctrina et gratia
Refulget in ecclesia.

14. Jacobus frater Domini
Et Nazareus maxime,
Vir justus ac verissimus,
Episcoporum episcopus.

15. Sedem Hierosolymam
Post passionem Domini
Pro Christi testimonio
Consummavit martyrio.

16. Sic Matthaeus in Persida,
Thomas quoque in India,
Johannes certe Asia
Magna replevit gratia.

17. Discipulorum singuli
Arietesque optimi
Victa mundi superbia
Nunc fruunt magna gaudia.

18. Gloria tibi, Domine,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Cod. Bruxellen. 8860—67. saec. 10. in. — 2, 3 qui ergänzt. — 3, 1 luminis. — 3, 3 Deus filium. — 4, 1 immobilem. — 4, 2 gloriosa. — 4, 3 fixus in. — 4, 5 Ecclesia firmissima. — 5, 2 optime. — 5, 4 gratia. — 6, 3 Jesu inque se diligit. — 7, 3 langnidus. — 7, 4 prosperum. — 8, 2 Lies: Antiochiam? — 8, 3 Lies: Romam cive ditissimam? oder: Romae cives ditissima? — 9, 1 fehlt eine Silbe, que ergänzt; socius. — 9, 3 Paulum quoque. — 9, 4 Virtutes. — 10, 1 Utrique victor. — 10, 2 Glorioso post certamine. — 10, 4 Coronaque. — 12, 1 patri. — 12, 1 fehlt nur scheinbar eine Silbe, da nach der italisch-spanischen Aussprache esplendidus zu sprechen. — 12, 3 orientem. — 12, 4 Andream sortem. — 14, 1 Jacob. — 15, 2 passione. — 15, 3 testimonium. — 15, 4 martyrium. — 16, 2 Thomasque. — 16, 3 Lies: Asiam? — 17, 3 Vita mundi.

25. De Apostolis.

Ad Vesperas.

1. Inter cunctos Christicolas
Excellit apostolicus
Ordo, divinis cultibus
Dicatus specialius.

2. Secutus namque Dominum
Relictis temporalibus
Mercatus est coelestia
Concedentis clementia.

3. Pro parvis et immania,
Pro caducis perpetua,
Ut quivit Dei gratia
Voluitque potentia.

4. Horum, Christe piissime,
Facta nos sequi tribue,
Nostris eos efficiens
Querelis exorabiles.

5. Hoc summa praestet deitas
Patris natique unici
Sanctoque cum spiramine
In sempiterno tempore.

Brev. ms. Broniense saec. 15. Cod. Semin. Namurcen. s. n.

26. De Apostolis.

Ad Laudes.

1. Jam corde puro et laeto
Hymnum canamus Domino,
Apostolis nunc debitam
Ferentes reverentiam.

2. Ut mereamur effici
Horum semper nos famuli,
Spernentes transitoria,
Tendentes ad perennia.

3. Judex Christus cum venerit,
Referre cunctis propria,
Nobis non ut supplicia
Proveniant sed praemia.

4. O lumina micantia,
Nobis ferte praesidia,
Quo mundemur a peccatis
Et sociemur superis.

5. Hoc summa praestet deitas
Patris natique unici
Sanctoque cum spiramine
In sempiterno tempore.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 116. A. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Bisuntin. 63. B. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 15. Cod. Virdunen. 117. C. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 65. D. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. ex. Cod. Bisuntin. 67. E. — 5, 1 praesta E. — 1, 2 Hymnum dicamus B. — 5, 4 sempiterna saecula E.

27. De uno Martyre.

1. Lucifer diem inchoat,
Aurora polum lucidat,
Mundus laudibus concrepat
Martyris festum celebrans.

2. Jam nulla vox reticeat,
Quin psallat nunc altisona,
Hymnilogum laetitiae
Alternent voces consonae.

3. Ave, Vincenti, praecluis
Coelitum consors humilis,
Regiae urbis incola,
Sidus micans in gloria.

4. Pro poenis tibi praemia
Rependit rex perennia,
Pro morte beneficia
Nunquam deficientia.

5. Esto ergo propitius
Indultor et magnificus,
Ut culpas, quas commisimus,
Per te labescant ocius.

6. Sit genitori gloria
Nato nec non per omnia
Cum spiritu paraclito
Ac gratiarum actio.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109 dreimal: einmal als de S. Vincentio (A), das zweite Mal als de S. Georgio (B), das dritte Mal als de Communi Martyris (C) — 2, 3 laetitia A. — 3, 1 Ave, Georgi B; Ave, o martyr C. — 3, 4 in gloriam A.

28. Plurimorum Confessorum.

Ad Vesperas.

1. Hi sacerdotes Domini sacrati,
Consecratores Domini fideles
Atque prudentes famuli fuerunt
Ecclesiarum.

2. Namque susceptae benedictionis
Dona servantes studuere, lumbos
Fortiter cincti, manibus corruscas
Ferre lucernas.

3. Dum clientelae Domini fatentur
Esse se factos humiles ministros,
Debitum cunctae meminere victus
Solvere sumptum.

4. Sicque suspensi vigilesque, quando
Januam pulsans Dominus veniret,
Obviaverunt cito properanti
Pandere limen.

5. Gloriae summum decus atque laudis,
Rex tibi regum, deitas perennis,
Quidquid est rerum, celebret per omne
Tempus et aevum.

Hymn. ms Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. B. — Str. 1—3 incl. ausradiert B. — 3, 1 fatentes A. — Mel.: Iste confessor.

29. Plurimorum Confessorum.

Ad Matutinum.

1. Talis ac tanti meriti laborem
Regis aeterni pietas benigna
Munerans larga retributione
Dulciter inquit:

2. Euge, dilecti mihi, sempiterni
Gaudii mecum bona jam tenete,
Rebus in paucis quia vos fideles
Esse probavi.

3. Nam in Abrahae sinibus recepti,
Jam suae certi solidae salutis,
Nos adhuc carnis laqueis ligatos
Solvere curent.

4. Gloriae summum decus atque laudis,
Rex tibi regum, deitas perennis,
Quidquid et rerum, celebret per omne
Tempus et aevum.

Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 15. Cod. Andegaven. 105. B. — Der Hymnus ist wohl nur ein Teil des vorhergehenden; Mel.: Iste confessor.

30. Plurimorum Confessorum.

Ad Laudes.

1. Dum sacerdotum celebrant fideles
Festa solemni veneranda cultu,
In tuas laudes honor hic redundat,
Summe sacerdos.

2. Cujus ex dono potuere sancti
Saeculi fastus et opes caducas
Ac voluptatum laqueos tenaces
Ludificare.

3. Sed nec adversis poterant moveri
A tuae certi fidei tenore,
Quos futurorum rata praemiorum
Spes animabat.

4. Unde post vitae fragiles labores
Rite decursos, patriae adepti
Coelicas sedes, solida beati
Pace fruuntur.

5. Gloriae summum decus atque laudis,
Rex tibi regum, deitas perennis,
Quidquid est rerum, celebret per omne
Tempus et aevum.

Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. B. — 3, 1 adversus B. — 3, 2 Atrie certi B. — Mel.: Iste confessor.

31. In festo ss. Praesulum Aeduensium.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, sacerdotum
Laudes et praeconia,
Auge cultum, auge votum,
Auge sacrificia,
Hanc ut plebem, clerum totum
Horum juvet gratia.

2. Hic sunt patres et pastores
Gregis Aeduensium
Et ipsius protectores
Custodesque ovium,
Ultores et defensores
In hunc malignantium.

3. Qui sua sacra doctrina
Destructis erroribus
Christi dogmata divina
Seruerunt mentibus,
Sacri fontis aqua digna
Lavantes a sordibus.

4. Nascentis sunt fundamenta
Praesentis ecclesiae,
Primitiva documenta
Coelestis militiae,
Per quos primum est inventa
Nova porta gratiae.

5. Pellunt morbos et languores,
Reprimunt daemonia,
Salutis sunt largitores,
Praestant beneficia,
Plebis sunt intercessores
Et vera auxilia.

6. Hujus ergo concionis
Sacrata solemnia
Nobis sint remissionis
Et peccati venia
Et post diem ultionis
Requies et gloria.

7. Praestet trinitas beata
Horum per suffragia,
Ut nostra quaeque errata
Purgentur et vitia,
Huic plebi sit pax data
Ibi et in patria.

Antiph. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduen. 150. A. — Antiph. ms. Aeduense saec. 13. in. Cod. Semin. Aeduen. 151*. add. saec. 17. B. — Brev. Aeduense imp. Parisiis 1489. C. — Mel.: Pange lingua.

32. In festo ss. Praesulum Aeduensium.

Ad Nocturnum.

1. Sanctorum praesulum nova solemnia
Plebs Aeduensium juncta laetitia
Celebret, ut horum per patrocinia
Fruatur regno polorum.

2. Dies recolitur solemnis et pia,
Qua jugis agitur horum memoria,
Ut qui nunc superis fruuntur gloria,
Orent pro nobis miseris.

3. In te hi plantarunt fidei semina
Et procul stirparunt deorum numina
Tibique lavacra baptismi libarunt,
Per quae purgantur crimina.

4. O celsi patroni, quorum in patria
In conspectu throni jam lucent praemia,
Pro vestris famulis stantibus in via
State precibus sedulis.

5. Et quos educastis fidei ferculo
Et corroborastis doctrinae pabulo,
Aeterno coelorum in habitaculo
Pascatis cibo justorum.

6. Te, summa deitas unaque, poscimus,
Ut praesens civitas a malis omnibus
Per horum merita servetur, quaesumus,
Et relaxentur debita.

Antiph. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduen. 105. A. — Antiph. ms. Aeduense saec. 13. in. Cod. Semin. Aeduen. 151*. add. saec. 15. B. — Brev. Aeduense imp. Parisius 1489. C. — 1, 4 Fruatur regna C. — Mel.: Sacris solemniis.

33. In festo Praesulum Aeduensium.

Ad Laudes.

1. Exsulta, felix Aedua,
Tantis ornata patronis,
Qui nunc in coeli curia
Splendidis pollent coronis.

2. Quorum fide coronaris
Et dogmate imbueris,
Virtutibus adornaris,
Baptismate ablueris.

3. Per hos tibi crescunt dona,
Fides tua augmentatur,
Cedunt mala, crescunt bona
Et gloria cummulatur.

4. Magnis pleni virtutibus,
Verbo, vitaque doctrina
Et praedicationibus
Tibi panderunt divina.

5. Sunt lapides et caementum,
Quibus tibi stat fundata
Supra petrae fundamentum
Domus coelo fabricata.

6. Quorum quidam bellatores
Hanc sanguine sacraverunt,
Alii vero confessores
Moribus dedicaverunt.

7. Vos igitur, o praesules,
Istam plebem conservate
Et terris adhuc exsules
Coelestibus sublevate.

8. Praestet beata trinitas
Per praesulum suffragia,
Ut praesens nos celebritas
Perducat ad coelestia.

Antiph. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduen. 150. A. — Antiph. ms. Aeduense saec. 13. in. Cod. Semin. Aeduen. 151*. add. saec. 15. B. — Brev. Aeduense imp. Parisius 1489. C. — 1, 1 Exsultet C. — 4, 1 plena C.

34. De Virginibus.

Ad Laudes.

1. Suscipe voces pariterque laudes,
Quas tibi mente promimus devota,
Sponsa, coelesti copulata regi,
Beata virgo.

2. Te a primaevo juventutis flore
Sponsus coelestis adamavit Christus
Et sibi templum te sacravit aptum,
In quo maneret.

3. Tetemet ipsam fide decoratam,
Spe roboratam, caritate plenam,
Corde benignam, castitate puram
Christo dicasti.

4. Inde nunc cara Dei margarita
Et pretiosa vocitaris gemma,
Te namque plebes utriusque sexus
Laude frequentant.

5. En, quod superna resides in aula
Et quod in coelo potens es cum Christo,
Indicant signa cunctis recolenda
Et memoranda.

6. Daemones tuis meritis fugantur,
Claudi curantur, caeci illuminantur,
Audiunt surdi, eriguntur curvi,
Muti loquuntur.

7. Virginem inde te rogamus sacram,
Ut pro peccatis obsecrando nostris
Veniam nobis impetrare velis,
Sponsa coelestis.

8. Sicut in tuo Deus nos amore
Liberet cunctis pius ab adversis
Atque futuram donet nobis vitam
Pace perenni.

Sit Deo patri laus et honor semper,
Gloria nato et spiritui sancto,
Quorum majestas et una potestas
Est in aeternum.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109.

35. In Natali Continentium.

Ad Vesp. et Noct.

1. Christe benigne, hujus sanctae tuae
Festa devote colimus, precantes
Hanc, tibi quae jam meruere jungi,
Regna tueri.

2. Vincla nostrorum scelerum resolvat,
Luce virtutum populos adornet,
Indicet nobis pietate sola
Regna superna.

3. Quae rite mundi gaudia caduca
Respuit sponte Deum diligendo,
Pro nobis instet, ut eandem viam
Nos tenemus.

4. Gloria sanctae piae trinitati
Turba resultet, canat et revolvat,
Quae manens regnat Deus unus omni
Tempore saecli.

Brev. Nemacense imp. s. l. 1499. — 1, 3 qui jam. meruere jugi. — 3, 3 eadem. — 4, 2 resolvat..

36. In Natali Continentium.

Ad Laudes.

1. O Christe, rex piissime,
Hujus sanctae suffragio
Horis, momentis omnibus
Munire nos non abnuas.

2. Te deprecamur supplices,
Ut ab hoste nos liberes,
Ne valeat seducere
Tuo redemptos sanguine.

3. Ut ore tibi consono
Et corde devotissimo
Possimus omni tempore
Laudes referre debitas.

4. Vox laudis et laetitiae
Et gratiarum actio
Regi debentur gloriae
Alacriori studio.

5. Precamur omnes, Domine,
Jesu, redemptor unice,
Quos redemisti sanguine,
Sanctis jungas in aethere.

Brev. Nemacense imp. s. l. 1499. — 2, 4 Tuos.

37. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Jesu, qui Deus deorum
In Sion es beata,
Quae fulgore radiorum
Tuae lucis ornata
Claris splendet, angelorum
Sedibus ordinata.

2. In aede tibi sacrata
Plebem Christianorum,
Qui tibi mente dicata
Cuncta dicant bonorum,
Benedictione grata
Dita sacramentorum.

3. Auctor tu qui singulorum
Quaeque sunt derivata
Tuo fonte meritorum
Pia per tot patrata,
Ut hominum peccatorum
Redimeres errata.

4. Hic, veritas increata,
Vincla solvis cunctorum,
Qui confitentur peccata
Et pascis filiorum
Humanitate velata
Vere animas piorum.

5. Felix ut grex electorum
Nuptiali parata
Tuorum veste donorum
Lampade intret aptata
Oleo pingui coelorum
Palatia exoptata.

6. Tibi gratias, oblata
Qui hostia miserorum
Debita luis, placata
Patris ira et tuorum
Sancto spiritu renata
Corda beas sanctorum.

Collect. ms. hymn. saec. 18. Cod. Parisien. 1094.

38. In Liberatione Urbis Aniciensis.

In 1. Vesperis.

1. Reginae mundi proelia,
Trophaea matris virginis
Nostra canant encomia
Ad summi laudem numinis.

2. O mater admirabilis,
Velut castra fulminibus
Armata, formidabilis
Tartareis cohortibus.

3. Tu monstrum ab origine
Cunctis innatum mentibus
In ipso vitae limine
Tuis conculcas pedibus.

4. Carnem, mundum et Satanam
Triumphi tui gloriae
Et vastam orbis machinam
Tuae subdis potentiae.

5. Per te Judaeos, ethnicos
Debellavit ecclesia,
Per te fugat haereticos
Et monstra vincit omnia.

6. Terra, pontus et flumina
Tuo gaudent obsequio,
Ignis, aër et fulmina
Tuo parent imperio.

7. O dux sacrae militiae,
Serpentis regnum dissipa,
Ut summo regi gloriae
Cuncta flectantur genua.

8. Praesta, Jesu, sub pedibus
Nostris calcari zabulum,
Ut in tuorum cordibus
Regnes per omne saeculum.

Sanctorale Cathedralis S. Mariae Aniciensis imp. Anicii 1661.

39. In Liberatione Urbis Aniciensis.

Ad Matutinum.

1. Pange, lingua, deiparae
Celebranda certamina,
Et triumphos Christiferae
Nostra collaudent carmina

2. Iram tremendi numinis
Accendunt mundi scelera,
Sed hanc Mariae virginis
Vincunt materna viscera.

3. O virgo, sole clarior,
Quam saepe mortis vincula
Solvisti morte fortior,
Cuncta proclamant saecula.

4. Tu morbos insanabiles,
Salus aegrorum, superas,
Aerumnas implacabiles,
Spes miserorum, dissipas.

5. Tu surdis aures aperis,
Caecos ad lumen revocas,
Mutis vocem restituis
Et claudis gressum reparas.

6. Per te mentes Christicolum
Terrena spernunt gaudia,
Per te malignum saeculum
Et Orci vincunt agmina.

7. Te propugnante fugiunt
Cuncta malorum genera,
Te favente proficiunt
Dilectis tuis omnia.

8. Praesta, Jesu, sub pedibus
Nostris calcari zabulum,
Ut in tuorum cordibus
Regnes per omne saeculum.

Sanctorale Aniciense imp. Anicii 1661.

40. In Liberatione Urbis Aniciensis.

Ad Laudes.

1. O Maria deigena,
Coronata sideribus,
Castrorum poli domina
Solis cincta splendoribus.

2. Armis induta coelicis
Decem draconis cornua
Tu, mater agni, conteris
Et septem frangis capita.

3. Per te derident martyres
Tyrannorum saevitiam,
Per te sacratae virgines
Carnis horrent spurcitiam.

4. O virgo, mater virginum,
Tu palmas omnes superum
Sola vincis eximio
Virginitatis lilio.

5. Tuae sunt omnes coelitum
Coronae, tua gloria
Trophaea Christi militum,
Tua jure sunt omnia.

6. In nati quippe sanguine
Dira vincentes tartara
Vincunt in matre virgine,
Triumphant super sidera.

7. Eja, virili pectore
Sequamur matris proelia,
Vincet mater in sobole,
Crescet vincentis gloria.

8. Praesta, Jesu, sub pedibus
Nostris calcari zabulum,
Ut in tuorum cordibus
Regnes per omne saeculum.

Sanctorale Aniciense imp. Anicii 1661.

41. De Caritate.

1. Christe rex, vita, lux, via et veritas,
Qui cuncta regis et gubernas omnia,
Da nobis pacem et veram concordiam
Caritatemque insuper haec omnia,
Quae sola regnat perfecta cum Domino.

2. Fides cessabit atque spes in ultima,
Caritas vero manebit cum Domino,
Ipsa est namque, quae opprimit vitia,
Ipsa est virtus, quae depellit omnia,
Justos exaltat ad coelorum limina.

3. Omnia bona antecedit caritas,
Malorum radix sola est cupiditas,
Qui vult perfecte vivere cum Domino,
Relinquat malum diligatque proximos
Ex vera fide et corde purissimo.

4. Dum vivi sumus et sani in corpore,
Sic festinemus emendare vitia,
Terrena lucra vehementer spernere,
Amare Deum, diligere proximum,
Ut consequamur sempiternam requiem.

5. Consideremus divitis duritiam
Et admiremus Lazari pauperiem
Metuamusque hominis perfidiam:
Homo despexit, dilexerunt bestiae,
Canesque muti delingebant ulcera.

6. Nos quasi fratres diligamus invicem,
Quia, qui odit, compar est diabolo,
Deceptor fratrum, detractor aut invidus
Non erit concors cum justis in requiem,
Nisi hic prius agat poenitentiam.

7. Dives et pauper mutaverunt gloriam,
Dives in igne, pauper in sublimia,
Infelix dives descendit in foveam,
Mendicus vero conscendit in gloriam
Inter sanctorum candidata agmina.

8. Reliquit dives mansionem splendidam,
Post mortem vero sumpsit sibi igneam,
Amavit aurum et vestem purpuream,
Idcirco jacet nudus in incendio
Nullumque ibi recipit auxilium.

9. Mors repentina antecedit miseros
Et peccatores recludit in carcerem,
Ibi sunt vermes draconesque pessimi
Ad devorandum illorum cadavera,
Qui perseverant in sua perfidia.

10. Heu quam magnus dolor instat reprobis,
Quam fortis poena subsequitur impios,
Qui pro peccatis hic non fundunt lacrimas,
Sed cum dolore stridoreque dentium
Amara erit illa poenitentia.

11. Gaudent potentes, dum adquirunt munera,
Mendici dolent prae famis inopia,
Post finem vero divites in tartara,
Qui consumpserunt orphanorum lacrimas,
Pauperes autem pergunt ad sublimia.

12. Terrena lucra damna sunt perpetua,
Adquirunt aurum et demergunt miseros,
Avari semper argentum desiderant,
Cujus aerugo erit in testimonium
Illis, qui servant mammona in sacculis.

13. Brevis est hujus saeculi calamitas,
Infelix nimis, caduca et fragilis,
Velut ut umbra fugit ante oculos,
Ducit ad poenam sibi consentaneos,
Mergit in ignem et mortis caliginem.

14. Beatus Victor, Christi martyr inclitus,
Pro cujus laude hodie conjunximus,
Sit intercessor apud pium judicem,
Ut mereamur percipere gloriam
Et in futuro triumphale praemium.

Cod. Parisien. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. — 1, 1 Christus. — 2, 1 cessavit. — 11, 2 impiis. — 12, 4 lies contempserunt? — 15, 2 laudibus; lies: conjungimur?

42. De Poenitentia.

1. Ad te, Deus gloriose,
rerum factor omnium,
Lacrimosis clamo gemens
et amaris vocibus:
Poenitenti, Christe, da veniam.

2. Brevis est haec vita nimis
Et plena miseriis,
Quam secutus ad coelestem
non levavi animam.
Miserere mei, piissime.

3. Confundor et erubesco
ante tuam faciem,
Cum recordor, quanta feci
coram te peccamina.
Ab inferno, Christe, nos libera.

4. Delectatus voluptate
carnis vixi reprobe,
Non quaesivi voluntatem
tuam digne facere.
Poenitenti, Christe, da veniam.

5. Epulando resolute
me nefandis pollui,
Deceptoriis et blandis
corpus meum subdidi.
Miserere mei, piissime.

6. Feci malum plus quam omnes
viventes in saeculo,
Unde tuum supplex posco
jam, Deus, auxilium.
Ab inferno, Christe, nos libera.

7. Gloriosam majestatem
et tuam potentiam
Collaudant, adorant cuncti,
quam tremunt, archangeli.
Poenitenti, Christe, da veniam.

8. Haec est via nam salutis,
te Deum cognoscere,
Te pro malis exorare
unumquemque propriis.
Miserere mei, piissime.

9. Justus es judex et pius
et rectum judicium,
In furore tuo, precor,
ne me, Deus, arguas.
Ab inferno, Christe, me libera.

10. Karo omnis ad examen
veniet terribile,
Ubi justi exsultabunt
et moerebunt impii.
Poenitenti, Christe, da veniam.

11. Luctu plena dies illa
et amara reprobis,
Dies irae, dies illa,
dies et caliginis
Miserere mei, piissime.

12. Moeror gravis homicidas
et raptores plurimos,
Ebriosos atque molles
occupabit pariter.
Ab inferno, Christe, me libera.

13. Non superbi ac discordes,
odiosi, lubrici,
Detractores et mendaces
diem hanc effugient
Poenitenti, Christe, da veniam.

14. Obstupebunt et marcescent
omnes illic invidi,
Concremabit et avaros
ultrix flamma divites.
Miserere mei, piissime.

15. Plectet ignis duros corde
et tempestas valida,
Justi autem laetabuntur
coram summo judice.
Ab inferno, Christe, me libera.

16. Qui ex tota mente sua
dilexerunt Dominum,
Hi gaudentes conregnabunt
illi in perpetuum.
Poenitenti, Christe, da veniam.

17. Rex et dicet: maledicti,
ite vos in tartarum;
Sanctis vero: benedicti,
venite ad gloriam.
Miserere mei, piissime.

18. Sic clauduntur tenebrosi
peccatores carcere
Et ardebunt ut damnati
cum stridore dentium.
Ab inferno, Christe, me libera.

19. Tunc electi ad promissam
ibunt laeti patriam,
Ubi vitam sempiternam
habebunt cum angelis.
Poenitenti, Christe, da veniam.

20. Vita illa Deus erit,
pax atque securitas,
Quem videbunt congaudentes
facie ad faciem.
Miserere mei, piissime.

21. Xriste, rerum fabricator
et redemptor omnium,
Suscipe vocem clamantis
ad te, quaeso, valide.
Ab inferno, Christe, me libera.

22. Ymnos tibi ut acceptos
valeam persolvere,
Da misello de peccatis
veram indulgentiam.
Poenitenti, Christe, da veniam.

23. Zelo tuo pectus meum
fac ardere jugiter,
Ne flamma gehennae meam
unquam urat animam.
Miserere mei, piissime.

24. Luctuosum scripsi rhythmum
quaerelumque fletibus,
Quo finito mecum omnes
clament quoque singuli:
Ab inferno, Christe, me libera.

Cod. Parisien. (ol. Martialen.) 1154. saec. 10. — 3, 4 digna. — 17, 4 damnatis.

II.

DE SANCTIS.

43. De sancto Achatio.

In 1. Vesperis.

1. Sacrae turbae celebremus
Virtutum insignia,
Voce, voto resonemus
Trophea victricia,
Quibus apte comprobemus
Fidei praeconia.

2. Dignos testes almae crucis
Prosequamur laudibus,
Qui sub fide Christi ducis
Procedunt in milibus,
Jubar clarum verae lucis
Perferentes mentibus.

3. Christum fide sunt secuti
Milites egregii,
Quorum fide prosecuti
Cadunt adversarii,
Fide fervent persecuti
Causa Dei filii,

4. Reges temnunt et fautores
Horum dolosissimos,
Pompas vitant et honores
Mundi falacissimos,
Virtuosos captant mores
In fide clarissimos.

5. Ob hoc poenis exarantur
Fortes testes gratiae,
Lapidati flagellantur
Instar regis gloriae,
Crucifixi coronantur
Spinis gentis impiae.

6. Non a fide recesserunt
Poenarum ludibriis
Nec in poenis defecerunt
Fidei praesidiis,
Cruciformes perstiterunt
In laudum praeconiis.

7. Hos in Christo veneremur
Psalmis, hymnis, canticis,
Quos fidenter deprecemur
Summi dignos apicis,
Ut cum ipsis gloriemur
In donis almificis.

8. Gloria sit, Jesu bone,
Tibi nunc et jugiter,
Qui certantes in agone
Adjuvas fideliter
Et mercedem das coronae
Vincenti viriliter.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733).

44. De sancto Achatio.

Ad Nocturnum.

1. Aeterno regi gloriae
Coetus pangat fidelium
Triumphum colens hodie
Martyrum decem milium.

2. Currant omnes et singuli
Festa recolant annua
Rapti de fauce zabuli
Coetus laude praecipua.

3. Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Extollant vocis organa,
Plaudant nunc cessetque rigor,
Psaltem sumant, dent tympana.

4. Novum genus militiae
Christo regi deducitur,
Donis praeventum gratiae
Fides vera consequitur.

5. Chorus sacratus militum
Fide sternit exercitus,
Fide currit ad meritum
Mundi contemnens strepitus.

6. Arma deponunt tristia
Montis Ararat vertice,
Crucis gerunt insignia
Christum fatentur publice.

7. Angelicis oraculis
Fidem norunt catholicam,
Montis praecelsi scopulis
Gustant escam vivificam.

8. Pugnant in mundi stadio
Armis fulti potentiae,
Quos non flectit promissio
Nec minae terrent anxiae.

9. O nobile collegium
Coeli regna vi capiens,
Morte crucis fers bravium
Mortem vita confodiens.

10. Qui sanctos diademate
Nunc decorat in praemio,
Cum utriusque neumate
Sit laus patri cum filio.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733).

45. De sancto Achatio.

Ad Laudes.

1. Felix chorus jam sonorus
Beatis decem milibus
Hymnum pangat, qui cor tangat,
Exultet coelum laudibus

2. Sacros viros fide miros
Organo vocis libere
Corde totis colens votis
Jam lucis orto sidere.

3. Coetus fortis almae sortis
Currit ad coeli bravium,
Passus dira fide mira,
Christe, redemptor omnium.

4. Euphratenos, Gadarenos
Fide vincunt in acie,
Quos prosternunt, dum te cernunt,
Magnae Deus potentiae.

5. Angelorum beatorum
Doctrinae fulgent radio,
Quem noverunt, ipsum quaerunt,
Magno salutis gaudio.

6. Regum jussis verae lucis
Tormenta viri subeunt,
Lapidatis, flagellatis
Vexilla regis prodeunt.

7. Vincunt duces reges truces
In caritate fervidi,
Cruce cadunt sicque vadunt
Ad coenam agni providi.

8. Summo regi cura gregi
Sit laudum ferre munia,
Sic coronet sicque donet
Beata nobis gaudia.

Brev. ms. Coelestinorum saec. 15. Cod. Mazarin. 357 (733).

46. De sancto Achatio.

Ad Vesperas.

1. Rex gloriose martyrum,
Victoria, spes victorum
Perduc nos ad consortium
Sanctorum decem milium.

2. Qui dum ritus gentilium
Sequerentur et studium,
Ab hostibus perterriti,
Coelitus sunt admoniti.

3. Hinc contemnentes omnia
Deorum superstitia
Jesu fulti praesidio
Victores sunt in proelio.

4. Tandem devictis hostibus
Sub septem falsis regibus
Mors una fuit omnibus
Subintrare martyrium.

5. Ex his princeps Achatius,
Campi ductor Catherius,
Eliades dux inclitus
Horum fuit exercitus.

6. Laus sit patri ingenito
Ejusque unigenito,
Sancto decus paraclito,
Tribus perennis gloria.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. B. — 1, 3 Et perduc ad consortium B. — 1, 4 decem milia B. — 2, 2 et fehlt B. — 2, 3 Ad hostibus eruditi B. — 2, 4 Coelestis sunt AB. — 3, 1 Hic contemnentes A. — 4, 2 falsis fehlt B. — 5, 1 Exhinc princeps B. — 5, 3 Heliades A, Ehades B.

47. De sancto Achatio.

Ad Laudes.

1. Orbis immensi Deus alme rector,
Cujus est verbum per nos incarnatum,
Perennes sume in solemnitate
Martyrum laudes.

2. Qui Eliadi milibusque denis
In fugam versis Gadarenis mira
Atque virtute ductorem misisti
Angelum pacis.

3. Cujus adjuti virtute ministri
Et Eufratenses atque Gadarenos,
Centum virorum millia pugnantum
Sub juga vertunt.

4. Quorum, precamur, pater, interventu,
Potestas cujus permanet aeterna,
Nostrasque mentes gloria renitet
Spiritus almi.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. B. — 1, 2 per vos B. — 1, 3 in fehlt B. — 3, 3 Centena AB. — 4, 1 interventum A. — 4, 3 retinet A. — 4, 4 Spiritus sancti A; spiritus almus B.

48. De sancta Adalberga.

Ad Laudes.

1. Nam hic quiescens corporis
Claris nitet miraculis
In hoc loco monastico,
Quem statuit sub ordine.

2. Illustret nos et precibus,
Gaudet ubi cum angelis,
Qui celebramus annua
Ejus sacra solemnia.

3. Laus et perennis gloria
Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761).

49. De sancta Agatha.

1. Quem in superna patria
Sacra collaudant agmina,
Huic in terris posita
Adhaesit virgo Agatha.

2. Quae spretis lenociniis
Ejus obsequens monitis
De numero prudentium
Exstitit ipsa virginum.

3. Praeparata lampadibus
Obviat Christo cursibus,
Cui coelorum ostia
Reserantur sublimia.

4. Ante sedem altissimi
Cantica nova concinit,
Agnum sequendo Domini
Turbis mixta angelicis.

5. Nunc propriis pro servulis
Lumen precetur luminis,
Nobis ut donet veniam
Pro delictorum sarcina.

6. Sit laus patri ingenito
Ejusque unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. — 4, 4 Turba.

50. De sancta Agatha

1. Quod seminavit lacrimans
Nunc metit ovans Agatha,
Quia in regni solio
Locatur cum tripudio.

2. Cui dolor non amplius,
Luctus non erit nec aestus,
Quia ejus ab oculis
Lacrimas Deus detersit.

3. Jam enim hiems transiit,
Imber cessit et abiit,
Florentes adsunt vineae,
Flores in terra redolent.

4. Ubi castis amplexibus
Sponso beato jungitur,
Cum quo regnat feliciter
Lumen adepta gloriae.

5. Cujus nobis clementiam
Prece imploret sedula,
Suum devotis mentibus
Hic festum celebrantibus

6. Sit laus patri ingenito
Ejusque unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109.

51. De sancta Agnete.

1. Christe, patris altissimi
Verbum et nate virginis,
Intende nostris vocibus
Hymnum tibi canentibus.

2. Qui diem hunc ex meritis
Agnetis tuae martyris
Nobis dedisti celebrem
Ad laudem tuae gloriae.

3. Quae in aetate tenera
Mundi reliquit gloriam,
Te salvatorem omnium
Secuta est et Dominum.

4. Haec tua plena gratia
Juvenem prece suscitat,
Quem inimicus straverat
Ante ejus vestigia.

5. Sed fixa tuis legibus
Flammis statim immergitur,
Expansis orat manibus
Nullis tacta doloribus.

6. Nunc pretioso lapide
Ornata, diademate
Ingressa tuum thalamum
Laudis hymnizat canticum.

7. Cujus nobis per merita
Cuncta relaxa debita
Et post vitae curricula
Nos transfer ad coelestia.

8. Qui cum patre piissimo
Regnas in regno supero,
Simul cum sancto spiritu
Modo et in perpetuum.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. — 5, 3 erat manibus. — Mel: Te lucis ante terminum.

52. De sancta Agnete.

Ad Laudes.

1. Ortu solis effugante
Nocturnam caliginem
Resolvamus os ut ante
Ad laudandam virginem
Ipsa suae adjuvante
Laudis ad indaginem.

2. Mandat praetor spoliari,
Trahunt ad prostibulum,
Lux divina lupanari
Immittit carbunculum,
Domum vetat subintrari
Lux obtundens oculum.

3. Crines ejus dilatati
Fiunt ei tunica,
Subvenitur nuditati
Veste missa coelica,
Novi cultus ministrati
De veste angelica.

4. Puer intrans praefocatur
Prae fulgetra luminis,
Turba fremit, accusatur
Tamquam maga criminis,
Plangit pater, suscitatur
Puer prece virginis.

5. Pater nato suscitato
Relinquit Aspasium,
Nutrimento ministrato
Paratur incendium,
Quod de coelo rore dato
Poena fit nocentium.

6. Gloria et honor Deo,
Agno sine macula,
Hic Agnetis in trophaeo,
Culpae solvat vincula,
Qui rex regum vivit, regnat
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Carnotense saec. 14. Cod. Carnoten. 588. — 1, 5 wieder effugante.

53. De sancto Alano.

Ad Vesperas.

1. Alani meritis inclita gaudia
Pangamus canticis gestaque fortia,
Quibus illicitis spretis inania
Calcans tenet coelestia.

2. Is ortu nobilis ex gente Gallica,
Corde perhumilis, sub anachorica
Vita laudabilis, indolis studia
Egit et memorabilis.

3. Horrendus omnibus clauditur celebris
Alani jussibus anguis et tenebris
Pulsis hebetibus medetur palpebris
Lympha dilapsa manibus.

4. Vestis cilicium, mixtum cineribus
Panis edulium erat et vepribus
Septa tugurium cella, quo fratribus
Sanctum struxit coenobium.

5. O summa deitas, Alani precibus
Remitte debitas poenas supplicibus
Et redde perditas coronas sedibus,
Quas cum sanctis inhabitas.

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553.

54. De sancto Alano.

Ad Matutinum.

1. Dum Romae visitat sanctorum limina
Et vocis flagitat coelica numina,
Hunc Petrus monitat, quod vitae semina
Gallis daturus redeat.

2. Francorum arguit regem intrepidus,
Quem pellens fremuit rex ira turbidus,
Sed febris rapuit, et sanctum placidus
Revocans supplex coluit.

3. Regis et plebium conscendit jussibus
Pastoris solium, sed cum dogmatibus
Resistit, solitum turba rebellibus
Reddit fructus ludibrium.

4. Pueris adimit emptis judicium
Et Christi imprimit his tirocinium,
Procellam reprimit atque naufragium
Imminens prece redimit.

5. O summa deitas, Alani precibus
Remitte debitas poenas supplicibus
Et redde perditas coronas sedibus,
Quas cum sanctis inhabitas.

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. Wohl nur Divisio.

55. De sancto Alano.

Ad Laudes.

1. Mundus sub radio collectus tenui
Momenti spatio patet adspectui
Sancti, dum serio se contemplatui
Praebet fervore nimio.

2. Quem prece noluit tortor absolvere,
Praesul deposuit a ligno propere
Et supra cubuit orans ac vivere
Defuncto sanctus praebuit

3. Suum non horruit missos in jugulum,
Sed aether micuit per montis scopulum
Et caecos terruit, quibus periculum
Adimens sanctus adfuit.

4. Longaevus carnea mole deposita,
Relinquens terrea virtute merita,
Insigni trabea victori praestita,
Aula regnat empyrea.

5. O summa deitas, Alani precibus
Remitte debitas poenas supplicibus
Et redde perditas coronas sedibus,
Quas cum sanctis inhabitas.

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. — Wohl nur Divisio.

56. De s. Alberto Carmelita.

Ad Vesp. et Noct.

1. Festa patris insignia
Praeconcinat ecclesia,
Congaudet Catalonia,
Exultat et Sicilia.

2. Traditur literalibus
Albertus puer artibus
Et statim in his omnibus
Imbuitur devinitus.

3. Octavi anni circulo
Peracto pater filio
Affatur, ut alliceret
Et nuptui hunc traderet.

4. Pater decrevit facere
Uxori quoque prodere,
Sed illa obstat valide
Et coepit viro dicere:

5. Nescis, quod voto supplici
Hic datus matri Domini,
Hunc oportet virtutibus
Ornari sacri habitus.

6. Ad haec pater obstupuit
Et ultra loqui timuit,
Et sic reginae virginum
Immolaverunt filium.

7. Accepta patris gratia
Ad fratrum hic solatia
Carmelitani ordini
Sese donabat Drepani.

8. Cujus nos, Christe, precibus
Supernis junge civibus
Ablatis facinoribus
Et saeculi erroribus.

9. Praesta, pater ingenite
Et fili primogenite,
Cum sacrosancto flamine
Exaudi omni tempore.

Diurn. ms. Carmelit. saec. 15. Cod. Avenionen. 63. A. — Brev. ms. Carmelit. Jerosolym. saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 125. B. — 1, 4 Exsultet A. — 3, 2 pater Alberto B. — 3, 3 alluderet A. — 4, 1 Mater decrevit A. — 6, 4 Immolaverunt Albertum B. — 7, 2 sic solatia A. — 7, 4 donabat Trepani B, compari B.

57. De s. Alberto Carmelita.

Ad Laudes.

1. Hujus vitae asperitas
Per mundi fulget orbitas,
Nam nodoso cilicio
Carnem domabat clanculo.

2. Per ferias legitimas
Carnis tulit illecebras
Et super struem palmitum
Nudum stravit corpusculum.

3. Hic vinum semper renuit,
Lympham potare voluit
Ut castitatis tropheo
Sese dotaret opido.

4. Hujus nos, Christe, precibus
Supernis junge civibus
Ablatis facinoribus
Et saeculi erroribus,

5. Praesta, pater ingenite.

Brev. ms. Carmel. Jerosol. saec. 15. Cod. Parmen Palat. 125. — 2, 3 fehlen zwei Silben; struem ergänzt. — 3, 2 portare. — 3, 4 Se dotaret.

58. De sancto Amato.

Ad Vesperas.

1. Amatum, sanctum laudate,
Sedunenses, jugiter,
Aurivillenses, gaudete,
Agaunenses, pariter,
Concinentes invocate,
Ut juvet salubriter.

2. Est hodie laureatus
Confessor, quem colimus,
Et in coelis sublimatus
Hic virgo purissimus.
Nam splendet ut sol togatus
Auri splendidissimus.

3. Monachus et eremita
Fuit, abbas, presbyter,
Praesul, lucens bona vita,
Credens Christo firmiter,
Est sic veste polymita
Indutus nobiliter.

4. Sibi clametis: Amate,
Per hymnum mirificium
Et corda vestra levate
Ad Deum magnificium,
Quem rogetis indilate
Psallentes hoc canticum.

5. Si pro sancto gloriamur,
Sint haec nobis praemia,
Ut paradiso fruamur
Psallentes Alleluja,
Ne cum malis irruamur,
Donetur et gratia.

Psalt. ms. Sedunense saec. 14. in. Cod. Valerian. s. n. A. — Psalt. ms. Sedunense saec. 14/15. Cod. Valerian. s. n. B. — Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod Valerian. s. n. C. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. D. — Brev. Sedunense imp. s. l. et a. E. — 2, 6 Ut aurum splendidissimus D. — Mel: Pange lingua.

59. De sancto Amato.

Ad Nocturnum.

1. In excelsis generosi
Praesulis concinere
Laudes throni speciosi
Velint atque promere
Hymnos cantus gloriosi
Et voces extollere.

2. Nam hunc laudat largitate
Egenorum concio,
Justitia, pietate,
Excellens devotio
Ipsum beat honestate
Et jugis oratio.

3. Praedicator veritatis
Plebem replet ferculis
Doctrinarum trinitatis
Et auribus sedulis
Dogmata dat sanctitatis,
Nomen servat praesulis.

4. Thesaurizans castitatem
Cum supernis ambulat,
Induens humilitatem
Superbiam jugulat,
Conservando pietatem
Virtutibus pullulat.

5. Sit laus summae trinitati,
Virtus et victoria,
Quae det nobis, ut Amati
Gloriosa gaudia
Assequamur laureati
Post vitam in patria.

Psalt. ms. Sedunense saec. 14. Cod. Valerian. s. n. A. — Brev. ms. Sedunense saec. 14/15. Valerian. s. n. B. — Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. C. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. D. — Brev. Sedunense imp. s. l. et. a. E. — Mel: Pange lingua.

60. De sancto Amato.

Ad Laudes.

1. Tibi sape loquebantur
Angeli tugurio,
Daemones repellebantur
Pio tuo colloquio,
Obsessi liberabantur
Devoto suffragio.

2. Prece tua stat natura
Et cedit miraculo
Et amittit sua jura
Emanato rivulo
De petra percussa dura
Coram pio famulo.

3. Spiritus linguis igneis
Supra servos patuit,
Jubar radiis rubeis
Supra caput micuit
Amati, corpus ferreis
Catenis qui circuit.

4. Sobrietas maceravit
Carnem nostri praesulis,
Prudentia superavit
Hostes in periculis,
Fortitudo sublimavit
Spretis ipsum maculis.

5. Sit laus summae trinitati.

Psalt. ms. Sedunense saec. 14. in Cod. Valerian. s. n. A. — Psalt. ms. Sedunense saec. 14/15. Cod. Valerian. s. n. B. — Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. C. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. D. — Brev. Sedunense imp. s. l. et a. E. — 1, 4 Lies: tis? — 2, 3 emittit D. — Der Hymnus Divisio vom vorigen; Mel.: Pange lingua.

61. De sancto Ambrosio.

Ad Laudes.

1. Sancta mater ecclesia
Exsultet et catholica,
Tanto patrono edita
Voce clamet dulcisona.

2. Quae rectorem Ambrosium
Recepit doctorem pium,
Ut gubernaret populum
Et fugaret Arianum.

3. Dum clamatur a puero,
Postulatur a populo,
Viso magno miraculo
Fit magna jubilatio.

4. Hic recepit officium
Praesulatus dignissimum
Se offerendo ad jugum
Propter Dei servitium.

5. Et in Dei servitio
Permansit in hoc saeculo
Et in mortis articulo
Receptus est a Domino.

6. Deo patri sit gloria,
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Forojuliense imp. Taurini 1495. — Von der Doxologie nur der Anfang.

62. De sancto Ambrosio.

Ad Laudes.

1. Ambrosi, doctor inclite,
Flos orbis, lux Italica,
Devotionis debitae
Tibi libamus cantica.

2. Dono fultum praesagio
Te Roma profert judicem,
Mediolani concio
Quem vocat in pontificem.

3. Coelesti fonte genitus
Jussu fugas daemonia,
Rebelles quosque coelitus
Sequestras ab ecclesia.

4. Dum columbina specie
Te spiritus alloquitur,
A spiritu nequitiae
Augustinus convertitur.

5. E coelo fulgens gratia
Tibi revelat martyres,
Quod nequis efficacia,
Desiderando martyr es.

6. Fert Florentina civitas
Te suscitasse mortuum,
Funus Martini visitas
Promissum solvens mutuum.

7. Graecorum mores imitans,
Sacra promis officia,
Perfecte Christo militans
Laetus potiris gloria.

8. Honor, decus, imperium
Trino Deo et unico,
Qui nobis per Ambrosium
Det regno frui coelico.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisien. 760.

63. De sancto Andrea.

1. Andreas, Christi famulus,
Dignus Dei apostolus,
Germanus Petri sanguine,
In passione socius.

2. Bonam partem sortitus est,
Sedem regni adeptus est,
Sedet inter duodecim
Totidem tribus judicans.

3. Crucem magistri meruit,
Per quam regnum obtinuit,
Humilis propter Dominum
Ascendit in patibulum.

4. Docuit multos populos,
Quod a magistro didicit,
Unde per omnem patriam
Ejus doctrina claruit.

5. Egeas tum, dux impius,
Idolatra et perfidus,
Suis praecepit sociis
Tenere Dei famulum.

6. Flagellis caesum graviter
A septem ternionibus,
Dum se despici conspicit,
Cruci affigi praecipit.

7. Gaudebat Dei famulus
Talem sortem suscipere,
Per quam magistri socius
In passione fieret.

8. Hoc cognoscentes populi
In confessione socii,
Omnes post illum properant,
Quo duci jussus fuerant.

9. Iuxta crucem collecti sunt
Fere viginti milia,
Ut de ore apostoli
Audirent mirabilia.

10. Karitas erat nobilis
In eorum praecordiis,
Ut pro amore martyris
Semperque essent stabiles.

11. Laeti ejus eloquis
Biduum stant imobiles,
Neglecto cibo corporis
Intenti spiritalibus.

12. Mirantes patientiam
Doctorisque constantiam,
Indignati dijudicant
Proconsulis saevitiam.

13. Non recte, dicunt judici,
Damnas sed talem hominem,
Ut ejus patientiam
Sumpsisset omnis patria.

14. Orat pius et postulat,
Ne mutetur sententia,
Dum illum nolunt cernere,
In nece ejus moti sunt.

15. Promittit judex impius,
Ut solvatur apostolus,
Fidelis Christi populus
Ex hoc laetus efficitur.

16. Quaerit judex dimittere
Nolentem se deponere,
Sic rogat Dei famulus
Magistrum in coelestibus:

17. Rex, magister et domine,
Qui plasmasti hominem,
Ut tibi beneplacitam
Offerret conscientiam;

18. Suscipe tuum famulum
Pendentem in patibulum,
Andream Christi apostolum;
Sic redditit spiritum.

19. Tunc Maximilla nobilis,
Christo Deo amabilis,
Accepit corpus martyris,
Optimum locum sepelit.

20. Versutus serpens contulit,
Qui nocere non desinit,
Judici se projicere
De grandi altitudine.

21. Xristi dignus apostolus,
Aeterni regni socius,
Jam sine fine possidet,
Quod ei repromissum est.

22. Ymnum ergo, carissimi,
Canamus ejus meritis,
Ut precibus obtineat
Pro nostra indulgentia.

23. Zelemus omnes pariter,
Hortemur nos ab invicem,
Ut mereamur effici
Ejus triumphi socii.

24. Gloria tibi sit, pater,
Gloria, unigenite,
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Ord. Servorum S. Mariae de Venetiis anni 1473. Cod. Oxonien. Douce 314. — 2, 3 Sed inter. — 3, 3 Humili. — 5, 1 Aegeatha dux. — 6, 3 despicit conspici. — 6, 4 affigit. — 10, 3 Et pro. — 11, 2 stans. — 11, 3 Negligens cibus. — 11, 4 Intentis. — 12, 3 Indignatis dejudicant. — 14, 2 Ut mutetur Sententiam. — 14, 4 necem. — 16, 2 sed deponere. — 17, 2 Lies: plasmavisti? — 18, 4 Ad Dominum sic reddidit spiritum; die zwei ersten Worte sind als überzählig zu tilgen und dann espiritum zu sprechen. — 19, 1 Maximulam. — 22, 4 Lies: Pro nobis indulgentiam? — 23, 1 Debemus omnes. — 23, 2 Hortemus. — Vor Nr. 17. Divisio ad Laudes.

64. De sancto Andrea.

Ad Vesp. et Noct.

1. Coelestis aulae janitor,
Petrus, Andreas pariter,
Germani carne conditi
Et passione socii.

2. Germanitatis vinculo
Nectuntur ad supplicia,
Ambo morte calcant solum,
Ambo cruce petunt polum.

3. Quibus voce dominica
Haec facta est promissio:
Venite post me, faciam
Vos piscatores hominum.

4. Quo audito discipuli
Statim relictis retibus
Secuti sunt gratissima
Redemptoris vestigia.

5. Uno te, Jesu, dogmate
Unoque desiderio
Colunt, adorant, praedicant
Ut magistrum discipuli.

6. Hujus, Christe, suffragiis
Nos purges a criminibus
Et pro poenis, quas pro eis
Meremur, nos eripias.

7. Ut cum magni judicii
Tremenda sors advenerit,
Ne nos perdas cum impiis,
Sed cum electis liberes.

8. Sit trinitati gloria
Saecla per immortalia,
Quae mundum sic irradiat
Per tanta luminaria.

Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. — Vor Str. 5: Divisio ad Nocturnum.

65. De sancto Andrea.

Ad Laudes.

1. Congratuletur artifex
Et poli globus ignifer,
Tellus resultet dulcibus
Profusae vocis laudibus.

2. Simonis Petri socius,
Andreas passus hodie,
In crucis ara positus
Vivens pependit biduo.

3. Pendens pro Christi nomine
Semper docebat populum,
Finem adesse sentiens
Sic exorabat Dominum:

4. Magister bone, Domine,
Meum suscipe spiritum,
Quia jam tempus imminet,
Te tenere desidero.

5. Sit trinitati gloria.

Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. A. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. B. — 1, 4 Perfusis B. — Nach Str. 4 wiederholt A aus dem vorhergehenden Hymnus: Ut cum dies judicii etc. — Die Doxologie lautet in A: Deo patri sit gloria.

66. De sancto Andrea.

Ad Vesperas.

1. Gemma fulget duodena,
Lux Andreas, lux serena,
Rete, hamus et sagena,
Fera suffert et amoena.

2. Vocem audit Salvatoris,
Rete laxat vi amoris,
Intus lavat, rigat foris,
Praedicator fit honoris.

3. Aegeas, dux Achaiae,
Famam audit provinciae,
Quod Andreas egregie
Praedicat regem gloriae.

4. Mox crucem parat Aegeas,
Sed apostolus Andreas
Christi fidem per plateas
Gentes docet erroneas.

5. Crucis optat patibulum,
Ascensum praebet sedulum.
Exsultans placat populum
Praesens detestans saeculum.

6. Coelestis regi curiae
Honor, virtus et gloria,
Qui nobis donum gratiae
Contulit et spem veniae.

Brev. Gratianopolitanum imp. Lugduni 1513.

67. De sancto Andrea.

Ad Laudes.

1. Ecclesiarum titulus,
Andreas Christi famulus,
Mactatur prout vitulus
In ara crucis sedulus.

2. Crucem orat prae gaudio,
Quam longo desiderio
Optaverat et proprio
Exclamavit ore pio:

3. O bona crux, quae fuisti
Decorata membris Christi,
Quem usque nunc repulisti,
Nunc laetantem excepisti.

4. Jesus, salvator omnium,
Spes mea, desiderium,
Non permittat meum pium
Impediri supplicium.

5. Coelestis regi curiae.

Brev. Gratianopolitanum imp. Lugduni 1513.

68. De Angelo Custode.

Ad Vesperas.

1. Primo dierum omnium
Deus coelestes spiritus,
Simul coelum empyreum,
Hyle creavit et tempus.

2. Splendor paternae gloriae
Angelos claros adspectu,
Immortalis essentiae
Fecit, potentes in actu.

3. Aeterne rerum conditor
Perspicuos intellectu,
Audite, coeli, quae loquor,
Vos fecit veloces motu.

4. Sed lucis orto sidere
Inter astra matutina
Superbia corruere,
Qui praesumpserunt divina.

5. Magnae Deus potentiae,
Superbis semper resistis,
Sed humilibus gratiae
Tu firmamentum exsistis.

6. Deus, tuorum militum
Propter perseverantiam
Sors et corona praemium,
Nobis hos das custodiam.

7. Rector potens, verax Deus,
Per virtutes adjutrices
Nos a daemone liberas,
Sic temperans rerum vices.

8. Tibi, Christe, splendor pacis,
Honor sit, laus et gloria,
Jubes qui sanctificatis,
Nostri ut sint custodia.

Brev. Rutenense imp. Lugduni 1543.

69. De Angelo Custode.

Ad Nocturnum.

1. Laudemus sanctos spiritus
Qui observant vigilias,
Dirigentes intuitus
Super gregis custodias.

2. Hi administratorii
Missi in ministerium,
Qui coelestis praetorii
Clare cernunt mysterium.

3. In his simplex essentia
Ac personae suppositum,
Nosse, velle, memoria
Liberumque arbitrium.

4. O animarum dignitas,
Quibus talis substantia
Contra hostis insidias
Data est pro custodia.

5. Angelus custos mittitur
Ad hominis custodiam,
Deo tamen perfruitur
Ejus cernens essentiam.

6. Aeterno patri gloria,
Filio ac paraclito,
Quorum una substantia
Nullo clauditur termino.

Brev. Rutenense imp. Lugduni 1543.

70. De Angelo Custode.

Ad Laudes.

1. Exsultet coelum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
Coelum, terram communibus
Deus nexit officiis.

2. Intellectuales coeli
Sunt spiritus angelici,
Illos praefecit custodes
Deus labenti homini.

3. Debilia per fortia
Reducuntur, confortantur,
Et infima per media
Defenduntur, sublevantur.

4. Nos in campo certaminis
Horum celantes gloriam
Perversitatem daemonis
Vincamus et astutiam.

5. O sancte angele Dei,
Ab eo qui es commissus,
Esto, quaeso, memor mei,
Ne peccato sim submissus.

6. Tibi, Christe, splendor patris,
Honor sit, laus et gloria,
Jubes qui sanctificatis,
Nostri ut sint custodia.

Brev. Rutenense imp. Lugduni 1543.

71. De Angelo Custode.

In 2. Vesperis.

1. Laudent astra matutina
Conditoris potentiam
Et sidera vespertina
Per eorum custodiam.

2. Coeli terram illuminant,
Fecundant quoque germine,
Angelique nos illustrant
Afflant divino munere.

3. Summis ima sociantur
Amicabili foedere,
Ac in finem operantur
Unum mane et vespere.

4. Nostra angeli laetantur
Ad Deum conversione,
Laetitia replebuntur
Felici assumptione.

5. Ipsi colligunt gratanter
In coelesti collegio,
Visitant quosque gratanter
Homines in exsilio.

6. O sancte angele Dei,
Ab eo qui es commissus,
Esto, quaeso, memor mei,
Ne peccato sim submissus.

7. Tibi, Christe, splendor patris.

Brev. Rutenense imp. Lugduni 1543. — 2, 4 Affluant.

72. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Ave, mater Anna,
Plena melle canna,
Cui marem passa
Nulla coaequanda.

2. Ave praedicanda,
Superexaltanda,
Mater matris poli
Regis atque soli.

3. Quam quis nescit fari,
Quamvis sensus clari,
Cui quod est votum,
Constat esse totum.

4. Ergo te rogamus,
Tibi supplicamus,
Ut, quod potes, velis,
Prece da nos caelis.

5. Placa nobis natam
Mundo per te datam,
Natum illa suum,
Tu nepotem tuum.

6. Laus sit trinitati,
Laus sit unitati,
Laus patri ac nato
Lausque paraclito.

Brev. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 1513. A. — Brev. ms Cantabrigense saec. 15. Cod. Duacen. 167. B. — Brev. ms. Sarisberiense anni 1434. Cod. Parisin. 17294. C. — Psalt. ms. S. Martini ad Gemellos saec. 15. Cod. Ambianen. 126. D. — Brev. ms. S. Martini ad Gemellos saec. 15. Cod. Ambianen. 113. E. — Brev. Herefordense imp. Rotomagi 1505. F. — Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. G. — Brev. Ambianense imp. Parisiis 1530. H.

1, 2 melle manna DEH. — 1, 3 matrem passa DE, mortem passa H. — 2, 3 Matrem D. — Str. 3 lautet in ABCG:

Quam quis velit fari
Sive venerari,
Reddet sibi votum
Christus, per quem totum.

3, 3 Reddet sibi notum C; Reddit sibi votum A; Cui quod est notum H; Cui quod est nomen D. — 4, 2 Ibi supplicamus H; Rogantes supplicamus G. — 4, 4 Prece da de caelis G; Prece dare caelis DEH. — 5, 1 Placans G. — 5, 3 Illa natum G. — 5, 4 Et nepotem tuum DE. — 6, 1 sqq. Entlehnen die Doxologie des Ave maris stella DEH. — Mel.: Ave maris stella. — Das Lied steht unvollständig bei Morel 333, wie er selbst bemerkt, „mit sehr verdorbenem Text", weshalb es hier aus besseren Quellen wiederholt ist.

73. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. In Annae puerperio
Nox fugit hujus saeculi,
Et illuxit cum gaudio
Dies totius populi.

2. Haec radix Jesse germinat
Expers cunctis illecebris,
Et germen ejus luminat
Nos sedentes in tenebris.

3. Pia mater et humilis,
De qua Maria prodiit,
Tuis adesto famulis,
Quos culpa gravis deprimit.

4. Jam felix et emerita
Manes cum summo judice,
Succurre, mater inclita,
Ut vivamus pacifice.

5. Ut quidquid hic deliquimus
Vitae per immunditiam,
Abstergas illud, petimus,
Per divinam clementiam.

6. Patri natoque gloria
Detur cum sancto spiritu,
Qui per Annae suffragia
Conservet nos in exitu.

Brev. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 1513. A. — Brev. Cantabrigense saec. 15. Cod. Duacen. 167. — Brev. ms. Sarisberiense anni 1434 Cod. Parisin. 17294. C. — Brev. Sarisberiense imp. Venetiis 1483. D. — Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. E. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. F. — 1, 3 Ac illuxit F. — 2, 3 Et germen ejus illuminat D; Germen ejus illuminat E; Germen illius illustrat F, lauter Verbesserungsversuche.

74. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Felix Anna prae aliis,
Digna laude fidelium,
Mundum replevit gaudiis
Per sacrum puerperium.

2. Haec de carnis propagine
Mariam nobis protulit,
Quae suo reddit germine,
Quod Eva tristis abstulit.

3. O vas coelestis gratiae,
Mater reginae virginum,
Per te precamur anxie
Remissionem criminum.

4. Memento, mater inclita,
Quam potens es per filiam,
Et nobis prece solita
Procura Dei gratiam.

5. Ejusque donet precibus
Dator bonorum omnium,
Ut gaudiis coelestibus
Fruamur post exsilium.

6. Patri natoque gloria
Detur cum sancto spiritu,
Qui per Annae suffragia
Conservet nos in exitu.

Brev. ms. Sarisberiense anni 1434. Cod. Parisin. 17294. A. — Brev. ms. Cantabrigense saec. 15. Cod. Duacen. 167. B. — Brev. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Londinen. Reg. 2 A XII. C. — Brev. ms. Sarisberiense saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 1513. D. — Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510 E. — Der Hymnus ist Überarbeitung oder Original von dem Anal. IV, 134 mitgeteilten.

75. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosae
Matronae praeconium,
Annae, matris generosae,
Cujus puerperium
Mundo dedit gratiosae
Salutis exordium.

2. Arbor vere salutaris,
Decoris mirifici,
Ramis expansa praeclaris
In prole multiplici,
Nomen unum, stella maris,
Dat personae triplici.

3. De prima stella procedit
Rex coelorum nobilis,
Turba sanctorum succedit
Ex duabus reliquis,
Erubescat, qui non credit,
Quod sit Anna sterilis.

4. Chorus ergo noster plaudat
Cum devoto carmine,
Nam radicem fructu fraudat
Et vitae propagine,
Quisquis Annam non collaudat
Ex tam sancto germine.

5. Sed nos in te veneramur,
O mater egregia,
Magna, quibus adjuvamur,
Dei beneficia,
Cujus opem praestolamur
Per tua suffragia.

6. Laus sit summo genitori,
Qui creavit omnia,
Laudes nostro salvatori
Personat ecclesia,
Mentium consolatori
Sit aequalis gloria.

Brev. ms. Carmelit. Hibern. anni 1489. Cod. Collegii SS. Trinitatis Dublinen. B 3. 10.

76. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Supernae laudis vocibus
Nunc plaudant mentis organa
Pro feminae virtutibus,
Quae nova praestant gaudia.

2. Radix Jesse refloruit,
Appropinquat redemptio,
Credentibus apparuit
Fructus in flore praevio.

3. Anna dilecta conjugi,
Quae sterilis jam fuerat,
Exsultans prole nobili
Partes Phenennae superat.

4. Hinc extolli promeruit
Honoris amplitudine,
Quae mundo tristi protulit
Matrem misericordiae.

5. O nomen quam egregium,
Quam transversum concorditer,
In omni sensu positum
Semper sonat suaviter.

6. Fecundat allegoricus,
Repraesentet ecclesiam,
Annam promat historicus,
Dicat interpres gratiam.

7. Laus patri sit cum filio,
Sancto quoque spiritui,
Sit perpes benedictio
Trino Deo et simplici.

Brev. ms. Carmelit. Hibern. anni 1489. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 10.

77. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Magna mater magnae prolis,
Nobilis Anna gratiae,
Matrem lucis, veri solis
Lactasti sacro ubere.

2. Gratia tuae filiae
Fudit nobis et retulit
Divina manus gratiae,
Quod Eva tristis abstulit.

3. Ipsa quidem mundi navis,
Pacis portus, dux provida,
Pietatis fons suavis
Et porta lucis fulgida.

4. Ob hoc, Anna, te precamur,
Fac hanc nobis succurrere,
Ut per eam fulciamur
Tui precatus munere.

5. Praestet nobis hoc caritas
Dei patris et filii
Et spiritus benignitas,
Deus unus, rex gaudii.

Brev. Matisconense imp. Lugduni 1521.

78. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. O gloriose domina,
Mater trium filiarum,
Quae rutilant ut lumina
Per hoc iter tenebrarum.

2. Trinam regentem machinam
Pro nobis semper exora,
Ut omnem solvet animam
Te colentum mortis hora.

3. Exsultet coelum laudibus,
Cantemus ei canticum,
Annis Anna senilibus
Semen peperit mysticum.

4. Beata nobis gaudia
Dedit atque solatium
Maria, prima filia,
Per Jesum suum filium.

5. Solutis jam gemitibus
Annae partu praefecundo,
Desideratus gentibus
Conversari venit mundo.

6. Quaesumus, auctor omnium,
In hac Annae memoria
Tu esto nostrum gaudium
Mundana vincens gaudia.

Brev. Matisconense imp. Lugduni 1521.

79. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Matrem virginis Mariae
Dignis laudet obsequiis
Plebs fidelis in hac die,
Resultet terra gaudiis.

2. Matrem istam Annam dictam
Colentes totis viribus
Vitam ejus benedictam
Lactis canamus mentibus.

3. Joachim, viri nobilis,
Conjux erat haec domina,
Ambo vitae laudabilis
Et vera mundi lumina.

4. Horum sacro conjugio
Fides fulsit et castitas,
Concordia, religio,
Perfecta Christi caritas.

5. Locupletes permanserunt
Tripartita substantia
Membraque Dei paverunt,
Qui regna dat coelestia.

6. Per ipsorum suffragia
Irae tuae tolle plagas
Nobis, Deus, et vitia,
Quae subruunt mentes vagas.

7. Laus, honor, virtus, gloria
Sit divinae trinitati,
Cui per haec subsidia
Simus coelo praesentati.

Brev. Lausannense imp. Gebennis 1509 A. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1521 B. — 3, 4 mundi gaudia A. — 4, 1 Horum socio B. — 4, 2 et caritas AB. — 7, 4 Sumus coelo B. — Steht ad Nocturnum A.

80. De sancta Anna.

Ad Vesperas.

1. Ave, mater pia,
Ex qua nobis orta
Est virgo Maria,
Felix coeli porta.

2. Sumens sacrum fetum
Ad salutis omem
Nostrum dele fletum,
Mutans Evae nomen.

3. Solve vincla nexis,
Preces nostras nosce,
Sordes lava fessis,
Bona cuncta posce.

4. Monstra, quod sis mater
Matris, per quam suus
Filius et pater
Tulit esse tuus.

5. Virgo, matris prece
Pane vitae pastos,
Facias nos faece
Carnis dempta castos.

6. Vitam nostram munda,
Ut sic gloriemur
Et luce jucunda
Semper collaetemur.

7. Sit laus et honoris
Soli Deo munus,
Nunc et cunctis horis
Tribus honor unus.

Antiph. ms. S. Desiderii Avenionen. saec. 15. Cod. Avenionen. I. A. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. B. — Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. C. — 2, 2 Ad salutem omnem C; Ad salutis omen B. — 2, 3 Nostra B. — 3, 1 vincla reis B. — 3, 3 lava foedas B. — 4, 3 et fehlt B. — 5, 3 nos fesse C. — 5, 4 Carnis depreca B. — 6, 2 sic fehlt B; Ut congloriemur A. — 6, 2 In luce jucunda B. — 7, 1 laus et honor B. — 7, 2 Deo unus B. — 7, 4 Trinus honor unus AC; Trinus et unus B. — Mel. selbstredend: Ave maris stella.

81. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Quem terra, pontus, aethera
Colunt, in Anna cumulat
Christus virtutum munera,
Nam Christum mente bajulat.

2. Cui luna, sol et omnia
Subsunt, huic mente libera
Servivit, unde gratia
Replevit Annae viscera.

3. Beata mater munère
Dei, qui nobis natus est,
Per natam tuam libere,
Sub cujus arca clausus est.

4. Beata coeli nuntio,
Quo ventris tui foetus est
Salutis reparatio,
Ex qua salvator fusus est.

5. Gloria tibi, Domine,
Qui sic disponis singula,
Ut tuo sistant ordine
In sempiterna saecula.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. — 2, 2 haec mente. — 3, 2 natus es. — 3, 4 clausus es. — 5, 3 lies: suo sistant?

82. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. O gloriosa domina,
   De cujus virgo genere
   Coeli regentem culmina
   Lactavit sacro ubere.
2. Quod Eva tristis abstulit,
   Per virginem adepta est
   Quae, dum salutem protulit,
   Coeli fenestra facta est.
3. Tu regis alti janua,
   Virga sumpta de stipite,
   Unde per tam praecipuam
   Gentes redemptae, plaudite.
4. Gloria tibi, Domine,
   Qui sic disponis singula,
   Ut tuo sistant ordine
   In sempiterna saecula.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530.

83. De sancta Anna.

Ad Matutinum.

1. Placatus sanctis meritis
   Annae, beatae matronae,
   Nos, Christe, rex piissime,
   Adjunge coeli curiae.
2. Anna Dei mater matris
   Nobis subveni miseris,
   Quo purgati contagiis
   Donis ditemur coelicis.
3. Per te quies sit temporum,
   Vitae detur solatium,
   Pacis redundet commodum,
   Medetur omne scandalum.
4. Ut caritatis gratia
   Sic affluamus spiritu,
   Quo corde cum suspiriis
   Christum sequamur intimis.
5. Laus, honor, virtus, gloria
   Deo patri et filio,
   Sancto simul paraclito
   In sempiterna saecula.

Brev. ms. Constantiense saec. 14. ex. Cod. Londinen. Add. 29668. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisin. 1272. B. — Brev. ms. Bajocense anni 1436. Cod. Parisin. 1299. C. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisin. 1300. D. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisin. 13243. E. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 425. F. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 276. G. — Brev. ms. Abrincense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 29885. H. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. I. — 1, 4 Admitte coeli B. — 2, 1 Anna Dei genitrix B; matris Dei mater C. — 2, 2 Subveni nobis C. — 3, 3 Ut purgati CD. —

84. De sancta Anna.

Ad Laudes.

1. Adesto nobis inclita,
   Dei matris o genitrix,
   Anna, quae in perpetua
   Cum Christo regnas gloria.
2. Beata es emerita
   Et gloriosa domina,
   Cujus per omne saeculum
   Pollet virtus et meritum.

3. Dignare ergo supplicum
Audire preces pauperum
Et solita clementia
Tu defer in dulgentiam.

4. Qui es rex regum, Dominus,
Deus unus omnipotens,
Sis benedictus omnia
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. S. Sepulchri Cadomen. saec. 14. in. Cod. Parisin. (Arsen.) 279. A. — Brev. ms. Constantiense saec. 14. ex. Cod. Londinen. Add. 29668. B. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisin. 1272. C. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisin. 13243. D. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 276. E. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. F. — Psalt. ms. S. Martini ad Gemellos saec. 15. Cod. Ambianen. 126. G. — Brev. ms. S. Martini ad Gemellos saec. 15. Cod. Ambianen. 113. H. — Brev. Ambianense imp. Parisiis 1530. I.

1, 3 O Anna plena gratia GH. — 1, 4 Regnans in coeli gloria GH. — 2, 1 Beata es et emerita C. — 2, 4 Nomen pollet in meritis GH. — 3, 1 Dignare laude supplicum GH. — 3, 2 vota pauperum GH. — 3, 4 indulgentia CD; Inferas indulgentiam GH. — 4, 1 Qui est GH. — 4, 2 Deus omnipotens E. — 4, 3 Sit benedictus GH.

85. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. Omnis sanctorum concio
Claro laudis praeconio
Matrem attollat virginis
Tam gloriosi nominis.

2. Anna matrona nobilis,
Virtutibus spectabilis,
Mira refulget gratia
Tali dotata filia.

3. Stirps Jesse clara floruit,
Dum Anna rosam genuit,
Quae tulit Deum filium,
Florem virtutum omnium.

4. Haec filiam cum filio
Coeli locatam solio
Laeto jam cernit oculo,
Sancto salutat osculo.

5. Deus, lux vera cordium
Et nobile solatium,
Fac Annae per suffragia
Nos tua frui gloria.

Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Insulen. 10. A. — Psalt ms. Leodiense saec. 15. Cod. Mazarin. 385 (221). B. — Brev. Windesheimense imp. Schonhoviae 1499. C. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. D. — 1, 1 Hymnis sanctorum concio D. — 2, 3 refulsit D.

86. De sancta Anna.

1. Ave, matris Dei
Anna mater alma,
Per quam nostrae spei
Exaltatur palma.

2. Mater matris Christi,
Mire dans odorem,
Virgam protulisti,
Virga dedit florem.

3. Campus salutaris
Facta es, quae rosam
Et olivam paris
Mundo speciosam.

4. Arcae testamenti
Compararis, Anna,
In se continenti
Vas repletum manna.

5. Mater matris piae,
Fac, ut tua nata
Adsit in hac die
Nobis advocata.

6. Ambas vos rogamus
Sanctas et felices,
Ut vos sentiamus
Nostras adjutrices.

7. Laus sit genitori
Genitaeque proli
Et consolatori,
Laus sit Deo soli.

Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Avenionen. s. n. A. — Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 134. B. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). C. — Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisin. 1284. D. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. E. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 277. F. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. G. — Brev. Sistaricense imp. Sistarici 1513. H.

87. De sancta Anna.

Ad Nocturnum.

1. O quam mirifica luce coruscas
Coeli juncta choris, Anna beata,
Coelorumque bonis glorificata
Inter coeligenas aetheris omnes.

2. En ex te processit proles regia
Stirpis Davidicae, virgo Maria,
Aeterni regis filia, mater,
Quam cunctus venerans orbis adorat.

3. Hunc, mater, precibus redde benignum,
Augeat nobis ut prospera cuncta,
A quo nos petimus te mediante
Et nunc et semper gaudia vitae.

4. Ista, pater, fili, spiritus alme,
Trine Deus nobis confer et une,
Qui semper nitida vivis in aethra,
Regnans ac moderans saecula cuncta.

Psalt. ms. Andegavense saec. 14. Cod. Andegaven. 106. A. — Brev. ms. Cenomannense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. IV°. 14. B. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 200. C. — Brev. S. Audoeni imp. Rotomagi 1521. D. — 2, 3 filia et mater B. — 3, 1 Hinc mater B. — 3, 2 ut nobis AD. — 3, 4 Abjectis tenebris gaudia vitae D. — 4, 1 Praesta pater fili B.

88. In Inventione s. Annae.

Ad Vesperas.

1. Jam dudum lux abscondita
Lucet expansis radiis,
Et gemma terrae condita
Effertur cum prodigiis.

2. O vere mater inclita,
O benedicta filia,
O regis regum avia,
Succurre nobis in via.

3. Hoc corpus diu latuit,
Inventum est sub Karolo,
Mirandis signis claruit
Depositum in patulo.

4. Accurrunt sacro corpori
Rex, clerus, turbae populi,
Congaudent tanto muneri
Cuncti, grandes et parvuli.

5. Nulla virga sic floruit
De radice Jesse nata,
Sola Anna germinavit,
Per quam mundo lux est orta.

6. Nullus flos fructificavit
Fructum tam salutiferum,
Per quem mundus respiravit
Tollens Annae mortiferum.

7. Ecce novus fons hortorum,
Diu terrae conditus,
Mentes rigat devotorum
Revelatus divinitus.

8. Sanctus pastor Auspicius
Actus divino flamine
Sub tuto reponit corpus
Matris virginis Mariae.

9. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio,
Ut per Annae suffragium
Crescat nostra devotio.

10. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Servos matris et filiae
Gaudiis dona perpetuis.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — „Dominica in albis fit de Inventione beatissimae Annae matris gloriosae virginis Mariae.“ — 1, 2 expensis. — 7, 4 Revelatum. — Chevalier nennt als Autor Joannes de Roma (!) und citiert Terris, Ste Anne d'Apte (1876), 154.

89. In Inventione s. Annae.

Ad Nocturnum.

1. De tenebris lux oritur
Annae reperto corpore,
Lampas ardens invenitur
Divino fota munere.

2. Emissus odor nimius
Totam replet ecclesiam
Longe lateque diffusus
Super omnem fragrantiam.

3. Regali stirpe exorta
Regis regum est avia,
Nobilis vir hanc invenit
Nobilior rex adornavit.

4. O stupendum miraculum,
Caecus videt, surdus audit,
Elinguis suscipit verbum,
Palam facit, quae non vidit.

5. Mentes reddit attonitas,
Dum sacram thecam revelat,
Hoc agit summa bonitas,
Quae sic devotos visitat.

6. Annue nobis, Domine,
Aviae tuae meritis,
Ut nos privatos lumine
Videamus cum beatis.

7. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ut per Annae suffragium
Crescat nostra devotio.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Servos matris et filiae
Gaudiis dona perpetuis.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 3, 3 Lies: Nobilis rex oder Nobilior adornavit?

90. De sancto Ammone.

1. Arcum coeli praefulgidum
Inter nebulas gloriae,
Dic Ammonem, praenitidum
Lumen hujus ecclesiae.

2. Hic Mansueto praesuli
Succesit in officio,
Quem in secreto tumuli
Digno clauserat studio.

3. Praedecessoris gloriam
Praesuccessor non minuit,
Sed sectando justitiam
Devote Deum coluit.

4. Hic coercet a gregibus
Lupum rapacem strenue,
Sacris orationibus
Deo vacans assidue.

5. Pastor suavi pabulo
Gregem pascebat jugiter,
Dum praedicabat populo
Verbum Dei fideliter.

6. Ortam labem haereticam
Exclusit a Tullensibus
Atque fidem catholicam
Reformavit in omnibus.

7. Dum adest sancti transitus
Lapso vitae curriculo,
Ad votum est reconditus
In Mansueti tumulo.

8. Dehinc alumnum gratiae
Praesul Hermannus transtulit
Ac matrici ecclesiae
Hunc venerandum contulit.

9. Felicis vitae terminum
Commendant beneficia
Data filiis hominum
Per ipsius suffragia.

10. Sanant leprae contagia
Sancti merita praesulis
Ac febrium incendia,
Dum pulsatur a populis,

11. Caecis visum restituit
Corda curans et corpora,
Se benignum exhibuit
Cunctis per longa tempora.

12. Hunc reges cum principibus
Coluerunt mirifice,
Magis locum muneribus
Ditantes honorifice.

13. Patri, nato, paraclito
Decus, honor, imperium
Ammonis sancti merito
Nobis accrescat gaudium.

Brev. ms. Tullense saec. 15. (Privatbesitz) A. — Brev. Tullense imp. Parisius 1510. B.

91. De s. Antonio Abbate.

Ad Vesperas.

1. Exsultet coeli curia
Pro confessore fulgido,
Qui nos sua clementia
Servet ab igne fervido.

2. Puer, in pueritia
Fugiens puerilia,
Deum incepit colere
Corde, verbo et opere.

3. Perfectam sequens regulam
Bona sua distribuit
Firmansque mentem credulam
Deum amare studuit.

4. Honor Deo et gloria,
Qui superna potentia
Sublimavit Antonium,
Confessorem eximium.

Brev. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

92. De s. Antonio Abbate.

Ad Laudes.

1. Exsultent gentes gaudiis,
Quae coruscantur variis
Miraculorum titulis
Et virtutum miraculis.

2. Sanctus signis emicuit,
Virtutibus effloruit
Effugando daemonia,
Spernens eorum proelia.

3. Precibus et vigiliis
Et ciborum jejuniis
Effectus Deo placidus
Mundum vicit intrepidus.

4. Honor sit tibi, Domine,
Per quem coruscus lumine
Data mundi victoria
Victor fulget in gloria.

Brev. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

93. De s. Antonio Abbate.

1. Pangat chorus laude digna
Jubilo praeconii,
Plaudat terra mirans signa
Incliti Antonii,
Et tabescat fraus maligna
Infesti daemonii.

2. Iste sanctus immundorum
Ferens multa jacula
Spirituum nec eorum
Est infectus macula,
Sed in medio laborum
Arsit sicut facula.

3. Antra eremi adivit
Vastae solitudinis
Et labore se contrivit
Spe beatitudinis,
Quam in Christo stabilivit
Turri fortitudinis.

4. Daemonis collisis telis
Mundi et anfractibus
Nobis datus, ut medelis
Succurrat et actibus,
Liberemur a quaerelis
Ignis et attactibus.

5. O minister sanitatis,
Velis nos defendere,
Salutis et sospitatis
Munera impendere,
Nobis viam claritatis
Aeternae ostendere.

6. Jesu Christe, spes sanctorum,
Isto dans in homine
Mira cernere gestorum
Tot in tuo nomine,
Miserere peccatorum,
Rex aeterne, Domine.

Brev. ms. Viennense (?) saec. 15. Cod. Lugdunen. 469. — 2, 4 infestus. — 4, 3 modulis.

94. De sancto Antonio Abbate.

Ad Vesperas.

1. Confessoris Antonii
Hymnum novum concinimus,
Summi digni praeconii,
Cujus nunc festa colimus.

2. Aegyptus clara praebuit
Nobis sanctum Antonium
Ortu claro, quo claruit,
Hoc habens privilegium.

3. A cunis puer editus
Vitam deduxit coelibem,
Ex toto corde deditus
Deo se dat antistitem.

4. Multis fulget miraculis
Iste confessor inclitus,
Insignitum ex titulis
Sanctus lustrat paraclitus.

5. Ignem exstinguit inferum
Igne divino concitus,
Morbum curat mortiferum
Donum habens hoc coelitus.

6. Viennensis provincia
Tanto patrono praeminet,
Summo gaudens praeconio,
Quae per hunc sanctum obtinet.

7. Deo patri sit gloria,
Antonii det praemium,
Aeterna quod supplicia
Tollantur per suffragium.

Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. A. — Brev. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian s. n. B. — Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. C. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. D. — Brev. Tarentasiense imp. Lugduni 1519. E. — 3, 1 Ad cunis E. — 3, 4 Dum se dat C. — 4, 1 Multi fulgent C. — 4, 2 inclitum C. — 4, 3 Insignitum fehlt C. — 4, 4 lustrans C. — 6, 1 Vianensis C.

95. De s. Antonio Eremita.

Ad Laudes.

1. Magnifici Antonii
Canamus hymnum, socii,
Quem colunt per ecclesias
Cuncti fideles hodie.

2. Hic in Aegypto editus
Non infimis parentibus,
Aetate fungens tenera
Se levat abstinentia.

3. Nam post parentum obitum
Sibi relicta vendidit
Et tribuit pauperibus
Secutus evangelium.

4. Mundi relinquens jurgia
Iter agit per arduum,
Solum quaerendo famulos
Sub Christi jugo positos.

5. Exempla quorum colligens
Inhaeret sic virtutibus,
Ut omnes ipsum asserent
Et nuncupent deicolam.

6. Hunc contra hostis perfidus
Bella movit crudelia,
Multis temptans insidiis
Servum Christi prosternere.

7. Sed fultus Dei famulus
Virtutum forti robore,
Hinc impetus tyrannicos
Contemnit mirabiliter.

8. Panis et aquae modicum
Hic sumit post interitum
Solarem, se tugurio
Recipiens sub junceo.

9. Laudemus cuncti Dominum,
Qui nunc colunt Antonium,
Coeli coronet gloria,
In qua regnat per saecula.

Orat. ms. Juliani Regin saec. 15. Cod. Parisien. 757. — 1, 4 Cuncti ergänzt. — 8, 4 juncteo.

96. De s. Antonio Eremita.

In 2. Vesperis.

1. Regis in summi filio
Praesens exsultet concio,
Antonio qui gloriae
Coronam dedit hodie.

2. Ut sol fulsit in tenebris,
Dum in Aegypti latebris
Vita et verbo splenduit
Ac signis multis claruit.

3. Fuit sanctus Antonius
Paulum videndi anxius,
Deserti primum incolam
Sincerumque deicolam.

4. Jam hora facta prandii
Panis, ante dimidii
Lati per corvum, copia
Duplatur Christi gratia.

5. Nutu divino veniunt
Leones et efficiunt
Justo sepulchrum homini
Servum juvantes Domini.

6. Vir Dei a daemonibus
Maceratus verberibus
Evasit cruce dusiis
Fugans minis, imperiis.

7. Sit trinitati gloria,
Virtus, honor per omnia,
Antonii quae precibus
Nos ditet in coelestibus.

Brev. ms. Lirinense saec. 15. Cod. Parisin. 10486. A. — Brev. Forojuliense imp. Taurini 1495. B. — 1, 2 exsultat B. — 2, 2 Divino Aegypti B. — 3, 1 sacratus B. — 6, 3 crucem B, duxiis AB; „dusii Gallorum lingua sunt daemones, Silvanis et Faunis similes.“ August. Civ. 15, 23.

97. De sancto Augustino.

Ad Nocturnum.

1. Augustine, lux doctorum
Ex fulgente lumine,
Fugator haereticorum
Cum exculto famine,
Fuisti Christianorum
Fax interno flamine.

2. Exstitisti forma morum
In sancta ecclesia,
Ornamentum clericorum
Vitae relucentia,
Dux fuisti populorum
Verbi resonantia.

3. Fuisti eremitarum
Fundator praecipuus,
Exstitisti viduarum
Instructor mellifluus,
Omnium conjugatarum
Praeceptor assiduus.

4. Egenorum educator
Fuisti cum lacrimis,
Captivorum liberator
Commotus ab intimis,
Orphanorum defensator
Juribus verissimis.

5. Tibi, Deus, decantemus
Hunc hymnum alacriter,
Tibi quoque laudes demus
Cum affectu dulciter,
Trinitati personemus
Pio corde jugiter.

Cod. Oxonien. Canon. Script. Eccl. 89. saec. 15.

98. De sancto Augustino.

Ad Nocturnum.

1. Laetetur omne saeculum,
Regem laudemus Dominum,
Novum cantemus canticum
Et nobile tripudium.

2. Nam Augustinus inclitus,
De clara stirpe genitus,
Christi factus discipulus,
Mundum relinquens penitus.

3. Quem docuit Ambrosius,
Vir prudens et catholicus,
Cujus doctrinam tenuit
Christumque sequi studuit.

4. Sit honor patri Domino
Et ejus unigenito
Una cum sancto spiritu
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. A. — Brev. Nemacense imp. s. l. 1519. B.

99. De sancto Apollinare.

Ad Vesperas.

1. Exsulta cleri concio,
Gaude, plebis devotio,
Apollinaris gratia
Felix, plaude, Valentia.

2. Hunc sancta generositas
Et generosa sanctitas
Dignum fecit splendescere
Pontificali sidere.

3. Honestae vitae merita
Mundo signis exhibita
Declaravere populis
Famam beati praesulis.

4. Regis uxor obtinuit,
Quod ipse rex non meruit,
Nam per vestis suffragium
Vis est ablata febrium.

5. In una trino gloria
Sit laus non transitoria,
Qui sublimavit inclitis
Apollinarem meritis.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

100. De sancto Apollinare.

Ad Laudes.

1. O quam felix suffotio
Potum negante fluvio,
Qua donum Christi cernitur
Et vir sanctus reficitur.

2. Dum tumet unda fluminis
Vento furente turbinis,
Mox cuncta fiunt prospera
Tranquillitate libera.

3. Praesul passus injuriam
Sua sponte dat veniam
Et solvens poenae subditum
Malignum fugat spiritum.

4. Columnarum proceritas
Et cereorum claritas
Testantur, vitam praesulis
Coruscare miraculis.

5. In una trino gloria.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

101. De sancto Aptonio.

Ad Vesperas.

1. Sancte Dei gloriose,
Aptoni egregie,
Coelo coruscus insidens
innixus perpetuo,
Tu Deo semper ministras
in coeli palatio.

2. Qui es superno lumine
regnans tu perenniter,
Plasma signatum coelitus,
triumphans cum tropheo,
Nos ad te pie currentes
junge poli solio.

3. Parentibus infecundis
natus est Aptonius,
Nomen allatum coelitus
decorans Engolismam,
Potens verbo, venerandus,
coelo semper inhians.

4. Quaesumus hujus plenius
nos tueri, Domine,
Tanti patroni precibus
servos tuos protege,
Hostis fugetur noxius,
nobis, Christe, annue.

5. Sic nos triumpho nobili
laureatos justitiae
Tuis aptet conspectibus
junctos tibi gloria,
Quo semper te perfruamur
in coelesti patria.

6. Sit laus summae trinitati,
virtus et victoria,
Patri, proli, spiritui,
omnes una usia,
Fac, meritis Aptonii
laetemur in gloria.

Offic. ms. Engolismensia saec. 16. Cod. Burdigalen. 81. — 2, 1 superni luminis. — 2, 3 Plasmas.

102. De sancto Aptonio.

Ad Laudes.

1. Summe Deus altissime,
Confessorum rex et decus,
Tu gloria es et portus
Ad te confugientium.

2. Angelico praemonita
Eugenia oraculo
Infecunda et sterilis
Geminos parit filios.

3. Ausonius, Aptonius,
Columnae Mauritaniae,
Nomine dati coelitus
A summo coeli cardine.

4. In Christo nondum renatis
Egregius Martialis
Parentum intuens fidem
Utrumque fonte levavit.

5. Dehinc vacans theoriae
Aptonius continuae
Domini verbi bajulus
Et praedicator exstitit.

6. Fratris sui Ausonii
Imitator per omnia
Cunctis est acclamantibus
Engolis praesul electus.

7. Summae sit laus trinitati,
Unus Deus et usia,
Ipsius ut Aptonii
Perennes simus gloria.

Officia ms. Engolismensia saec. 16. Cod. Burdigalen. 81.

103. De sancto Arrigio.

In 2. Vesperis.

1. Chorus ut praesens laudes eximii
Praesulis exaltet, sancti Arigii,
Tu, Christe, da, ut mens nostra in laudibus
Pura sit omnibus.

2. Praesul hic beatus saecli fugit fastus,
Docuit populum, sic rexit saeculum,
Ut digne laudibus sitque venerandus
Per orbis climata.

3. Nivernis jucunda sit ejus doctrina
Atque laetabunda, dum duxit carina,
Dizezia adsit, ei per fluvium
Dans domicilium.

4. Istius praesulis noscunt suffragia
Privati oculis, ejus fastigia
Nota in saeculis, ita egregia
Pandamus notulis.

5. Honor sit datus summae trinitati,
In coelis beatus confessor cohorti
Summe trabeatus sedes det, ut laeti
Cum eo regnemus.

Grad. ms. Nivernense anni 1532. Cod. Parisien. 908. — 5, 3 Summe transbeatus sedes.

104. De sancto Armagilo.

1. Armagili celebremus
Devote solemnia
Et eidem laudes demus
Cum cordis lactitia,
Quem honorat, honoremus,
Summi regis curia.

2. Ex Anglorum non exili
Genitus prosapia,
In aetate puerili
Faciens magnalia,
Deo servit non servili
Amore sed latria.

3. Ad Britannos transfretavit
Prius linquens omnia,
Quem Francorum rex vocavit
Ad sua consilia,
Caecum, claudum hic curavit
Cum multis in Gallia.

4. Qui sex annos remeatus
De regis licentia,
In deserto commoratus
Ciborum penuria,
Carnem mactat, consolatus
Sola Dei gratia.

5. Illuc manens eremita
Habens Dei gratiam,
Mira fecit infinita
Deo donans gloriam,
Fama volat, quod sit ita
Per totam provinciam.

6. Omnes aegros, bruta sanat,
Feminam a sanguine,
Daemon fugit, fons emanat,
Monstrum mergit flumine,
Omnem morbum hic persanat
Jesu Christi nomine.

7. Summo regi laudes demus
Cum honoris gloria
Et eidem prolixemus,
Ut obtenta venia
Cum hoc sancto jubilemus
In coelesti patria.

Collect. ms. hymn. saec. 18. Cod. Parisien. 1094. — Der Hymnus ist offenbar ein alter. Chevaliers Repertorium Hymnologicum citiert ein Brevier von Rennes von 1514, das ich nicht gesehen, das aber offenbar auch dem Veranstalter des Repertoriums nicht vorgelegen hat.

105. De sancto Audomaro.

Ad Vesperas.

1. Christi praesul egregie
Et confessor, Audomare,
Natalibus clarissime,
Vota precantum suscipe.

2. Praefulgens gemma praesulum,
Spes, fides supplicantium,
Pium confer auxilium
Placando nobis Dominum.

3. Qui circa tuum tumulum
Post hujus vitae transitum
Longo sub usu temporum
Lumen dedit continuum.

4. Divino namque numine
Lampas accensa fundere
Non cessabat lucifluum
Semper redundans oleum.

5. Hanc specialem gratiam
Tibi Christus concesserat,
Ut pateat in populis,
Quod vera luce frueris.

6. Nostris ergo pectoribus
Tuis sacratis precibus
Aeternae lucis gaudia
Infundat Christi gratia.

7. Hoc summa praestet deitas,
Patris, natique spiritus,
Quorum par est immensitas
Et eadem aeternitas.

Brev. ms. Catalaunense saec. 14. in. Cod. Parisin. (Arsen.) 595. add. saec. 14. A. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. B.

106. De sancto Audomaro.

Ad Nocturnum.

1. Sopore carnis obruto
Mentisque terso nubilo
Hymnum canamus Domino,
Regi coelorum inclito.

2. Qui sanctum nobis tribuit
Audomarum eximium,
Mirabilem virtutibus
Ac fulgidum miraculis.

3. Hic spreta mundi gloria
Carnis vicit illecebras
Ac solo Christi ambitu
Terrena cuncta respuit.

4. Nactus enim monasticae
Beatam normam regulae
Luxovii cum proprio
Se patre natum subdidit.

5. Unde regalis jussio
Et plebis supplicatio
Contranitentem rapuit
Pontificemque statuit.

6. Hic fidem nobis tradidit,
Nam nosse patrem monuit
Et natum non reticuit
Flamenque sanctum docuit.

7. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Catalaunense saec. 14. in. Cod. Parisin. (Arsen.) 595. add. saec. 14. A. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. B. — 2, 2 eximius A.

107. De sancto Audomaro.

1. Aeterna lux credentium,
Perpes corona praesulum,
Jesu, redemptor omnium,
Votis fave poscentium.

2. In hac sacrata nobilis
Festivitate praesulis
Hymnum canentes dicimus,
Adesto nobis, quaesumus.

3. Hic Audomarus inclitus,
Fulgens fide clarissimus,
Caduca sprevit culmina,
Desiderans perennia.

4. Plebis gregem qui creditae
Verbi cibans dulcedine
Ad lacta coeli pascua
Tua vocavit gratia.

5. Pastor bonus nam claruit
Doctorque verus floruit,
Signis coruscans fulgidis
Et actuum miraculis.

6. Quod praedicavit famine
Sancto repletus flamine,
Complevit hoc mitissimus
Factis et almis moribus.

7. Exempla rite gentibus
Praebendo cum dogmatibus,
Inventus est in omnibus
Pollens sacris virtutibus.

8. Jam nunc polorum sedibus,
Junctus choris coelestibus,
Ut sol micat in gloria
Promissa sumens praemia.

9. Cujus precatus munere,
Rex Christe clementissime,
Indulgeas, deposcimus,
Nobis scelus, quod gessimus.

10. Mundi peracto termino
Ut ipsius consortio
Dignis fruamur praemiis
Et sempiternis gaudiis.

11. Sit trinitati gloria,
Deo patri cum filio,
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. Audomarense imp. Parisiis. 1518.

108. De sancta Aurea.

1. Divinis donis Aurea
Conforme nomen habuit,
Cujus caro virginea
Ut aurum pura nituit.

2. Spectandam fulva species
Dat auro pulchritudinem,
Decorat pulchra facies,
Plus fides sponsi virginem.

3. Aurum per ignem transiens
Probatur solidissimum,
Sic virgo poenas patiens
Invictum probat animum.

4. Sit Christo regi gloria,
Qui coronavit Auream,
Per ejus det suffragia
Perennem nobis lauream.

Cod. Bruxellen. (ol. S. Laurentii Leodien.) 18653—57. saec. 11. add. saec. 15.

109. De sancto Ausonio.

Ad Vesperas.

1. Exsultet plebs fidelium,
Christo pangant praeconium,
Qui est corona martyrum
Et certa spes credentium.

2. In quo quicunque militat,
Dum perseverat, superat,
Ut post laborem gaudeat,
Quem sibi Christus sociat.

3. In quo vicit Ausonius,
Agonista fortissimus,
Engolismae clarissimus
Civitatis episcopus.

4. In qua degens innumeras
Coelo direxit animas,
Credenti grande bravium,
Incredulo judicium.

5. Hic inde saluberrimi
Non obliviscens moniti,
Sed imitando Dominum
Pervenit ad martyrium.

6. Cujus intercedentibus
Apud te, Christe, precibus
Ignosce peccatoribus,
Ne pereamus funditus.

7. Vitam concede coelibem,
Mentem confirma fragilem,
Ut cum virtutum lampade
Ad te possimus currere.

8. Summo patri sit gloria
Cum filio infinita
Paraclitoque flamini
Et nunc et saeclo perfrui.

Offic. ms. Engolismensia saec. 16. Cod. Burdigalen. 81. — 8, 3 Et nunc et saeclo perditi Hs.

110. De sancto Ausonio.

Ad Matutinum.

1. Ad redemptoris omnium
Triumphale praeconium
Solemne ducat gaudium
Coetus Engolismensium.

2. Quorum salutis praevius
Et legifer Ausonius
Hac luce per martyrium
Coeleste sumpsit bravium.

3. Hic cum quibusdam fratribus,
Veritatis doctoribus,
Est missus Aquitaniae
Minister sapientiae.

4. Suscepit pontificium,
Sic patris egit studium,
Ut, quod docebat facere,
Primus complebat opere.

5. Sed cum gens quaedam Vandala
Ferens in Christum scandala
Vastaret Aquitaniam,
Venit hanc ad provinciam.

6. Hic itaque salubria
Christi sequens vestigia
Pro commendatis ovibus
Semet objecit hostibus.

7. Quem regis lictor protinus
Oblatum sibi cominus
In civitatis exitu
Collo privat et spiritu.

8. Quae gloria sit animae,
Corpus probat exanime,
Quod abscissis cervicibus
Caput resumpsit manibus.

9. Quod detulit cum gloria
Mira Dei potentia,
Donec illic seposuit,
Ubi nunc usque jacuit.

10. Summo patri sit gloria
Cum filio infinita
Paraclitoque flamini
Et nunc et saeclo perfrui.

Offic. ms. Engolismensia saec. 16. Cod. Burdigalen. 81.

111. De sancto Ausonio.

Ad Laudes.

1. Ausoni, vir egregie,
Nomen habens audaciae,
Assertor audax Domini,
Tuo concordans nomini.

2. Sancte martyr et pontifex,
Adesto nobis opifex
Apud summum pontificem,
Quem praestolamur judicem.

3. Ut cum discussor aderit
Et mundum judicaverit,
Tuae simus victoriae
Participes et gloriae.

4. Sit trino regi Domino
Laus jugis absque termino,
Qui triumphat in praemio,
Quod contulit Ausonio.

Offic. ms. Engolismensia saec. 16. Cod. Burdigalen. 81.

112. De sancto Auspicio.

In 1. Vesperis.

1. Hoc rite festum gentibus
Est celebrandum omnibus,
Quo pontifex Auspicius
Fit angelorum socius.

2. Hoc habitans in saeculum
Tulit decus egregium,
Plus diligendo Dominum,
Quam corpus ipse proprium.

3. Hinc per amorem Domini
Temnit libamen idoli.
Jussu captus nequissimi
Dire multatur judicis.

4. Dejectum per simulacrum
Perdit pedem sanctissimum,
Conteritur ac cerebrum
Corpus simulque reliquum.

5. Sic alacer in Domino
Vitam finit continuo,
Fuso cruore proprio
Coeli dantur pro praemio.

6. Nunc te precamur pariter,
Auspici, praesul inclite,
Quo coelico juvamine
Fultos ducas in aethere.

7. Gloria patri ingenito,
Ejusque unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 2, 1 Hoc habitans in saeculum statt Inhabitans hoc saeculum? Vgl. den folgenden Hymnus 3, 3.

113. De sancto Auspicio.

Ad Nocturnum.

1. Hoc in festo decus omne
et pia laus Domino
Decantetur ab adstante
nunc fideli populo,
Qui laetatur pro benigno
sanctorum solatio.

2. Quos glorificat in coelis
pro forti martyrio
Perpetimque dat laetari
cum coetu angelico,
Jubilat qui novum carmen
trino personis Deo.

3. Cum quo credimus regnare
praesulem Auspicium,
Qui super defertur astra
forte per martyrium
Et pro fide Dei passus
carnis est supplicium.

4. Ubi te, pastor Auspici,
lux perornat mystica,
Et collaudat vox sanctorum
ac simul angelica,
Et assignat deaurata
pago Christi dextera.

5. Nunc precamur aggregati
hoc in festo pariter,
Nos tuum qui celebramus
solemne fideliter,
Ne sinas nos perturbari
ab iniquo principe.

6. Ne seducat hoc redemptos
vitae nos in tempore
Aeque jam de coelo lapsus
pro splendoris crimine
Et ligni vetiti gustum
praesumpsit exsolvere.

7. Concede sed exsecrare
hujus vitae gaudia
Et respuere nefanda
sanguinum imperia,
Quo fidelium sequamur
tuorum vestigia.

8. Gloriam patri canamus
gloriamque filio,
Gloriam flamini sacro,
tribus in solo Deo,
Qui regnat per infinita
saeculorum saecula.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 6, 5 lies: Qui ligni?

114. De sancto Auspicio.

Ad Laudes.

1. Summi pontificis festus in orbe
Est dies eximia laude probandus,
Quo linquens saeculum scandit ad aethra
Christo dante sibi gaudia coeli.

2. Qui coelum proprio sidere ornat,
Quem laus melliflua rite perornat,
Sanctorum propria carmina laudant,
Praesens cum jubilo concio clamet.

3. Hic fessis requies spesque laboris,
Forma praespicui patris, honorem
Dantis pro meritis quisque beatis,
Illustrat proprio lumine sanctos.

4. Virtus magna patris, laus pia nati,
Honor splendifluus flaminis almi
Coelorumque decus, pax angelorum,
Quem pia pariter prece rogemus.

5. Protege pia nos jussa tenentes,
Et quod letiferum perdere vulnus
Temptat sub modico pectoris antro,
Purga omnimoda peste fugata.

6. Sed tua doce nunc lege catervas,
Quo Christum proprio corporis ore
Laudent, qui patriam ducit in altam
Justos quoque pia jussa tenentes.

7. Te precamur, pater, undique juncti,
Quo nobis veniam coelitus datam
Fusa prece pia impetret ipse,
Cum Christo jugiter quo maneamus.

8. Sit laus summa patri, sit genitoque,
Sit decus eximium flamini sacro,
Perpes semper honor omne per aevum,
Virtus sancta simul tribus in uno.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 2, 1 proprio videre decoratur. — 3, 1 requies fessis. — 3, 2 Fama perspicui; honorent. — 5, 1 nos pia. — 6, 1 tuas nunc leges doce. — 3, 1 summo.

115. De sancta Barbara.

Ad Vesperas.

1. Illuxit nobis hodie
Dies digna memoriae,
Resultet vox ecclesiae
Cantet carmen laetitiae.

2. Haec est dies eximia,
In qua virgo egregia
Barbara cum laetitia
Migravit ad coelestia.

3. Quam ortam de gentilibus
Pie respexit Dominus,
Ornans ipsam virtutibus
In annis puellaribus.

4. Freta divina gratia
Mundi respexit gaudia
Potentum et connubia
Cunctaque transitoria.

5. Diebus atque noctibus
Vacabat Dei laudibus,
Quam coruscare pluribus
Hic fecit mirabilibus.

6. Consumpta tandem gladio
Cruoris fluxu nimio,
Angelorum collegio
Est adjuncta cum gaudio.

7. Sponsa Dei et filia,
Cui conregnas in gloria,
Per tua nos suffragia
Erue a miseria.

8. Christe, redemptor omnium,
Per Barbarae suffragium
Da nobis vitae praemium
Post hoc carnis exsilium.

9. Honor, virtus et gloria
Pro Barbarae victoria
Sit trinitati simplici
Et unitati triplici.

Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. — 7, 2 Cui regnas in gloria.

116. De sancta Barbara.

Ad Nocturnum.

1. Surgentes a cubilibus
Hymnum Deo referimus,
Qui Barbaram coelestibus
Junxit comptam virtutibus.

2. Hanc gemmam tulit Tuscia
Ex gentili prosapia,
Unde gaudet ecclesia
Coelestis atque curia.

3. Quae dum vixit, per varia
Renitebat insignia,
Hinc transvecta ad atria
Coeli patrat magnalia.

4. Signum crucis haec marmori
Impressit digito sui,
Quod cunctis adhuc hodie
Ostenditur visibile.

5. Quae castitatis lilio
Candes, rubes martyrio,
Nos coeli contubernio
Junge tui suffragio.

6. Jesu, nostra redemptio,
Nos Barbarae praesidio
Omni libera vitio
Et gehennae incendio.

7. Deo patri ingenito
Ejusque unigenito
Cum spiritu paraclito
Sit laus et jubilatio.

Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518.

117. De sancta Barbara.

Ad Vesperas.

1. O quam glorifica laudis honore,
Inter virgincos, Barbara, coetus
Excellens meritis, clara trophaeo,
Omnis te celebrat coelicus ordo.

2. Tu pulsis tenebris, luce recepta
Verum fassa Deum, nomina sacra
Es patris, geniti, flaminis almi,
Unum sed Dominum cuncta regentem.

3. Post haec magnamino corde furorem
Patris, divitias, dogmata vana
Gentilesque deos, Barbara, spernis,
Constanti retinens pectore Christum.

4. Crudeles superas inde tyranni
Fastus, carnificum verbera, saevos
Aptatae lateri lampadis ignes
Tu perfers, teneras secta papillas.

5. Christus terrifico carcere clausam
Toto te laceram corpore sanat,
Cervicem genitor dissecat ense,
Extemplo periit fulminis ictu.

6. O nostrum precibus terge reatum
Sacris, virgo, tuis donet et arcem
Nobis aetheream trinus et unus,
Cui summus sit honor lausque perennis.

Psalt. Cenomannense imp. 15**. — Mel. natürlich die des Marienhymnus gleichen Anfangs.

118. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. Dum tuos clerus jubilans agones
Atque praeclaros recinit triumphos
Et tibi puro modulatur ore,
Barbara, laudes:

2. Vota servorum, rogitamus, audi
Ac tuis Christum precibus serena,
Ut pia nostri sceleris reatum
Mente resolvat.

3. Christe, victricum rutilans corona
Virginum, per quem fragilis domavit
Sexus atroces roseo tyrannos
Sanguine fuso,

4. Barbarae miti veniam precantes
Cerne nunc vultu famulos, cruore
Quos redemisti proprio benignus
In crucis ara.

5. Laus, honor, virtus, decus et potestas
Sit tibi semper, deitas creatrix,
Persolvens mentes hominum volucri
Ocius aura.

Psalt. Cenomannense imp. 15**.

119. De sancta Barbara.

Ad Vesperas.

1. Promat voce dulcisona
Coetus hic fidelium,
Mente clangat almiphona
Barbarae martyrium,
Cujus prece fit consona
Pangere praeconium.

2. Arce nimis eminenti
Dioscori filia
Clausa fuit et ingenti
Ejus forma nimia,
Uti denegaret genti
Tactus et alloquia.

3. Quando crevit, tunc neglexit
Subire connubium
Dictaque patris contempsit,
Humanum consortium
Vitans, haec casta despexit,
Bonum dans initium.

4. Instruitur divinitus
Baptizata flamine,
Imperans, ne templi situs
Pagano cacumine
Fiat, sed per sacros ritus,
Instructos spiramine.

5. Post haec pater conqueritur
De templi structione,
A filia componitur
Pro mystico sermone,
Sic jussi, et perficitur
Mea intentione.

6. Insensatus eam pater
Disponit occidere
Mente nubilus et ater,
Lenonibus tradere,
Nudam jubet evidenter
Per hanc viam ducere.

7. Gloria tibi, Domine,
Qui cum unigenito
Regnas et sancto flamine
Tu nostri memor esto,
Ut laetemur sine fine
Corpore deposito.

Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 14. Cod. Carnoten. 565. add. saec. $^{15}/_{16}$. — 2, 5 Ut denegaret. — 3, 5 haec casta de gruit. — 7, 6 Corpore fehlt.

120. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. Laetabunda solemnitas
Generosae virginis
Per mundi claret orbitas,
Quae splendore numinis
Gratulatur post habitas
Poenas pelle criminis.

2. Ferox judex acriori
Cogitat de supplicio,
Et hanc Christus grandiori
Confortat de praemio,
Si spiritu fortiori
Dimicet in stadio.

3. Virgo pendens alligatur
Pedibus equuleo,
Caput ejus maceratur
Durissimo malleo,
Cruciatur nec gravatur
Propitiante Deo.

4. Saevus pater ejus latus
Discerpit tunc acriter,
Ignis sibi applicatus
Urit hanc crudeliter,
Mamma torta per meatus
Fluit cruor dulciter.

5. Nuda duci cum jubetur
Mox angelus adfuit,
Ab impiis ne videretur
Candida operuit
Stola, velat nec videtur,
Sed nimium profuit.

6. Praeses furit et tabescit
Corde, mente, spiritu,
Quod gladiis finire nescit
Nec quovis cruciatu,
Qui hoc patri tunc expressit
Tradens gravi fremitu.

7. Imminente exitio
Voce quaerit humili:
„Detur sacra communio
Migranti vita vili,
Si corde mea passio
Colatur credibili;

8. Fulmen fuga me precanti
Dilueque commissa."
Grata fore fert oranti
Vox coelitus emissa:
Occurre sponso donanti
Gaudia repromissa.

9. Post hoc caput evellitur
A proprio genitore,
Qui descendens consumitur
Terrerimo fulgure,
Quod nec cinis invenitur
Mansisse de corpore.

10. Gloria tibi, Domine,
Qui cum unigenito
Regnas et sancto flamine,
Tu nostri memor esto,
Ut laetemur sine fine
Corpore deposito.

Brev. ms. S. Petri Carnoten. saec. 14. Cod. Carnoten. 565. add. saec. 15/16. — 1, 6 pelle criminis soviel als corpore peccati? — 2, 2 ist eine Silbe zuviel; lies: Terret hanc supplicio, oder ähnliches. — 2, 3 hanc ergänzt; es fehlt eine Silbe. — 4, 1 latus ejus. — 4, 3 applicatur. — 4, 6 cruori. — 5, 5 volat. — 5, 6 profruit. — 7, 5 nulla passio. — 8, 5 Occurrere.

121. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. Ave, sponsa Christi,
Cujus ob amorem
Barbara fudisti
Proprium cruorem.

2. Pulchra, prudens, munda,
Fortis in agone,
Frueris jucunda
Dei visione.

3. Neque patris ira
Saevi et evecti,
Nec a Christo dira
Poena potes flecti.

4. Cui pastor index
Luit poenas justas,
Oves Deus vindex
Vertit in locustas.

5. Te Christus invisit
Carcere manentem,
Stolam albam misit
Te nudam tegentem.

6. Torta multis poenis
Tandem decollata,
Gaudes in amoenis
Coeli coronata.

7. Deo laus pro bonis
Barbarae tributis,
Cujus prece donis
Ditet nos salutis.

Brev. ms. Aquicinctense saec. 15. Cod. Duacen. 158. A. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1552. B. — 2, 2 Factis in agone B. — 2, 2 evicti B. — Mel. natürlich Ave maris stella.

122. De sancta Barbara.

Ad Nocturnum.

1. Prima mundi divisio
Choro, tubis et cithara
Trinitatem cum gaudio
Laudat in sancta Barbara.

2. Quae trinitati serviens
Sub ejus typo statuit
Tres fenestras aperiens,
Quod pater corde doluit.

3. Haec, inquit, sancta trinitas
Illustrat omnem hominem,
Ob hoc patris impietas
Insurrexit in virginem.

4. Hanc fides, spes et caritas
Trinitati consimilant,
Cujus agon et castitas
Clare per orbem rutilant.

5. Cordis, oris et corporis
Trina fulsit munditia,
Pascens intus et deforis
Dilectum inter lilia.

6. Patrem tortorem per fidem
Vicit in poenis patiens,
Cujus passa tyrannidem
Migrat ad Deum moriens.

7. Trino Deo et simplici
Laus hujus pro victoria,
Cujus prece nos supplici
Perducat ad coelestia.

Brev. ms. Aquicinctense saec. 15. Cod. Duacen. 158. A. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1552. B. — 4, 2 Trinitati fehlt A; conciliant A. — 4, 3 Ejus agon A. — 5, 1 Cordis et oris corporis B. — 6, 1 perfidum A. — 6, 3 Aquo passa B. — 6, 4 Migravit Deo B.

123. De sancta Barbara.

Ad Vesperas.

1. Gaude, sponsa Christi,
Quae mundum vicisti,
Daemonem fugasti
In tuo fervore.

2. Saevissimi patris
Plura dira passa,
Per te nunc offertur
Dulcis hymnus Deo.

3. Pluribus quae annis
Fidem abscondisti,
Ut fieres summo
Martyr Deo digna.

4. De turri descendens
Structuram intrasti,
Tres nempe fenestras
Fieri jussisti.

5. Ut mansio tota
Trino lustraretur
Lumine infuso
Solio de sancto.

6. Tu patrem spernendo
Patri Deo vero
Melodia laudis
Fis Barbara virgo.

7. Tonitrua pelle
Longius a nobis
Fulguraque saeva,
Vera sponsa Christi.

8. Uni trino Deo
Laudes persolvamus,
Patri filioque
Gloriam canamus.

Diurn. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Parisien. 10530. — 4, 3 fenestras fehlt. — Mel. natürlich Ave maris stella.

124. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. Exsulta nunc, ecclesia,
De virginis victoria,
Quam plebs fidelis invocat
Vota depromens debita.

2. O sacra virgo Barbara,
Nulla pavens supplicia,
Constans ad bella Domini
Fregisti falsa idola.

3. Muta spernens simulacra
Deum colebas sedule,
Vacans orationibus
Et amaris singultibus.

4. Proinde pater improbus
Te graviter insequitur,
Mallens te interimere
Quam idola relinquere.

5. Demum mucrone impio
Perfossa reddis Domino
Spiritum cum tripudio,
Beata virgo Barbara.

6. Inde precamur sedulí,
Memento, martyr, quaesumus,
Ut per te nos exaudiat,
Qui te benigne refovet.

7. Conserva nos a turbine
Tempestatumque fulmine,
Toto precatu supplici
Commenda nos altissimo.

8. Ad sacrum cujus tumulum
Exstant in testimonium
Opilionis crimine
Ex ovibus locustulae.

9. Pangamus omnes pariter
Patri laudes et genito
Unaque sancto flamini
Et nunc et in perpetuum.

Diurn. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Parisin. 10530.

125. De sancta Barbara.

Ad Laudes.

1. O lux beata trinitas,
Pro tuae lucis radio
Nostra clamat humilitas
In hujus vitae stadio.

2. Ad te mentes humiliter
Convertimus cum Barbara,
Illumina subtiliter,
Quae tu creasti pectora.

3. Lustra nos illo jubare,
Lux omnes fugans tenebras,
Quo tu mentales Barbarae
Illuminasti latebras.

4. Hausit haec vase tenero
Sic de superno nectare,
Quod novit, quia numero
Congaudet Deus impare.

5. Nam trium delectabilis
Fenestrarum apertio,
Quid est, nisi mirabilis
Trinitatis assertio?

6. Quis modo perscrutabitur
Sapientum gentilium,
Cur trina lux illabitur
Sic mentibus humilium?

7. Creans nobis impresseras
Tuam similitudinem,
Opus tuum ne deseras,
Tuam salves imaginem.

8. Haec a nostra memoria
Nunquam cedat dignatio,
Tibi laus sit et gloria,
Sit jugis jubilatio.

Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Parisin. 17295. A. — Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Duacen. 163. B. — Brev. Tornacense imp. Parisiis 1479. C. — Brev. Bisuntinum imp. s. l. et a. D. — Brev. Cameracense imp. Parisiis 1479. E. — Brev. Tornacense imp. Parisiis 1509. F. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. 1512. G.

126. De sancta Barbara.

Ad Vesp. et Noct

1. Beata nobis gaudia
Martyrium dat Barbarae,
Quam trahit ad coelestia
Summae Deus clementiae.

2. Ad coenam agni providi
Invitaris, qua resides,
Agno junguntur nobili,
Quocunque pergis, virgines.

3. Rerum creator optime,
Per eam te testificas
In turris terno lumine,
O lux beata trinitas.

4. Beata, cujus brachiis
Saxa tacta obediunt,
Dum manu signum imprimis,
Vexilla regis prodeunt.

5. Aurea luce coelitus
Ducitur virgo carcere,
Plagae curantur penitus
Jam lucis orto sidere.

6. Rex Christe clementissime,
Haec passa te magnificat,
Audita benignissime
Vox clara, ecce, intonat.

7. Audi, benigne conditor,
Per eam hic nos protegens,
Aeternae sit vitae dator,
Verbum supernum prodiens.

Brev. ms. Bisuntinum. saec. 15. Cod Bibl. Archiep. Remen. s. n. A. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. B. — Brev. Lochense imp. Turonibus 1536. C. — 3, 3 In turmis B. — 4, 3 Dum magnum signum BC.

127. De sancta Barbara.

Ad Vesperas.

1. Laetetur aula coelica,
Laetetur mundi curia,
Barbaram coelo redditam
Cantet omnis ecclesia.

2. Haec in terrenis posita
Coeli ambivit atria
Fluenta vitae sitiens
Et terrena fastidiens

3. Ad fontem vitae sitiit
Et fontem vitae reperit,
Nimis fota dulcedine
Nil novit ulta flebile.

4. Nulla valet vox promere,
Nullus sensus concipere,
Qua pascatur dulcedine,
Quanto fruatur lumine.

5. Laudetur inde genitor
Cum suo unigenito,
Laudetur sanctus spiritus
Cum patre ens et filio.

Brev. Vapincense imp. Vapinci 1499. — 1, 3 Barbara. — 2, 2 ambiunt patria. — 4, 1 Alleluja valet vox. — 5, 2 Cum suo genito. — 5, 4 patre ejus et. — Inhaltlich scheint das Lied ein hymnus de Communi virginum.

128. De sancto Barnaba.

Ad Vesperas.

1. Refulge nostris sensibus
Sancti spiritus gratia,
Ut Barnabae apostoli
Digna pangant praeconia.

2. Urbs Mediolana nobilis,
Cur siles laudes praesulis,
Dogma cujus et actio
Est tua sublimatio?

3. Hic sui agri pretium
Apostolorum pedibus
Obtulit, ut pro Domino
Pugnaret expeditius.

4. Ortus de stirpe Domini
Simonis, Judae, Jacobi
Frater fuit et socius
Sancti Pauli apostoli.

5. Cum quo multa miracula
Patravit atque dogmata
Graecis, Latinis, Barbaris
Fidem contulit populis.

6. Nam primus Antiochiae
Romaeque fidem docuit
Et Lombardiae urbibus
Mediolanum praetulit.

7. Id statuens metropolim
Rite dicando Domino,
Fide, doctrina, praesule
Clerum ornans cum populo.

8. Cyprina docens oppida
Post haec a turba perfida
Ictibus duris quatitur,
Deo libatus uritur.

9. Hunc primum nostrum praesulem
Precemur corde supplici,
Rorem divinum conferat,
Nobis plantatae fidei.

10. Ne sua pravo dogmate
Maculetur ecclesia,
Sed purgata zizaniis
Consurgat ad coelestia.

11. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760.

129. De sancto Barnaba.

Ad Laudes.

1. Coeli superna agmina,
Vestra date suffragia
Et vos, fratres, concinite
Hymnum beati Barnabae.

2. Hic vana mundi respuens,
Philosophia praepollens
Sicut sidus emicuit,
Splendor ejus non latuit.

3. O beate Christicola,
Nostra coerce crimina,
Vexatos qui languoribus
Tuis sanasti precibus.

4. Carnem cremasti ignibus,
Tu speculum in omnibus,
Et ideo cum angelis
Laetaris in coelestibus.

5. Laetare tu, Liguria,
De tanto patre Barnaba,
Jussu cujus Anathalon
Fide lustravit populum.

6. Praesta, pater piissime,
Apostoli juvamine
Ut post mundi curricula
Regna petamus coelica.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760.

130. De sancto Barnardo.

Ad Matutinum.

1. Magnae dies laetitiae
Nobis illuxit coelitus,
Barnardus thronum gloriae
Praesul conscendit inclitus.

2. Virtus in statu saeculi,
Monachalis perfectio
Dignitatumque tituli
Hunc attollunt praeconio.

3. Felix plebs Romanensium,
Quae singulari gloria
Patronum tam egregium
Habet in coeli curia.

4. Trino Deo laus debita
Reddatur atque gloria,
Qui nos per hujus merita
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). A. — Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518. B.

131. De sancto Bartholomaeo.

Ad Vesperas.

1. Recolentes apostoli
Triumphum Bartholomaei
Mente psallamus humili
Christo, ejusdem principi.

2. In cujus pugnans nomine
Apostolus mirifice
Hostis victa tyrranide
Culmen conscendit gloriae.

3. Fidelis declaratio,
Fert poenarum multitudo
Ab Astragis imperio
Dum privaretur corio.

4. Intra manus carnificum
Non tacens evangelium
Per capitis sententiam
Coelo tradidit animam.

5. Supremo ergo principi
Supplicemus et militi,
Ut illi regi Domino
Conjungamur cum famulo.

6. Ut ea, quae commisimus,
Condonet rex piissimus
Amici sui precibus
Coelique jungat civibus.

7. Praestet pater ingenitus
Ejusque unigenitus,
Deus et homo filius,
Hoc et amborum spiritus.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. B. — 3, 1 Fidelis ut relatio A. — 5, 3 Illi qui regi Domino A. — 5, 4 Coelestia condonet famulo A. — 6, 1 amisimus B. — 6, 4 fehlt B. — 7, 4 Hoc est A.

132. De sancto Bartholomaeo.

Ad Vesperas.

1. Sublime saeclis gaudium
Chorus persolvat omnium,
Claro resultans lumine
Apostolorum gloriae.

2. De quorum sorte splendida
Bartholomaeus emicat
Condignus apostolico
Vocari patrocinio.

3. Qui compar inter principes
Orbis terrarum judices
Defendat nos examine
Severitatis ultimae.

4. Cui plaudunt insignia
Miraculorum milia,
Ut protestatur India,
Per te redempta gratia.

5. Praesta, salvator omnium,
Quo constat omne saeculum,
Bartholomaei precibus
Nos jungas in coelestibus.

Brev. ms. S. Theodorici saec. 12. Cod. Remen. 289. A. — Brev. ms. Theodorici saec. 14. Cod. Remen. 292. B. — 3, 3 Defendat nox A.

133. De sancto Benedicto.

1. Ut tuae vitae, Benedicte, laudes
Nunc tui digne famuli canamus,
Cordis impuri maculam tu apte
Solve precatu.

2. Tu monachorum pater et magister
Coelibem vitam sacer edidisti
Atque doctrinae documenta signis
Ipse probasti.

3. O nimis felix pater alme semper
Angelis vita, spiritu prophetis,
Patribus signis, Domini ministris
Par documentis.

4. Est satis solos alios venire
Et suas Christo animas lucrari,
Tu subornatus grege centuplato
Appetis astra.

5. O tot a Christo redimite sertis,
Quot tuis scriptis animas lucraris,
Inter has et nos simul adnotari,
Sancte, precare.

6. Hoc pater praestet, hoc idem parentis
Unicus natus sibi comperennis,
Hoc sacer flatus, Deus unus omni
Tempore saecli.

Hymn. ms. Corbejense saec. 11. Cod. Ambianen. 131. A. — Brev. ms. Anglicanum saec. 10. Cod. Londinen. Harl. 2961. B. — Brev. ms. Nobiliacense saec. 13. Cod. Burdigalen. 85. C. — Vgl. Stephenson p. 72 sq. D. — 1, 3 macula tu pete C. — 1, 4 Solvi precatu C. — 2, 2 Celebem vitam D. — 2, 3 doctrina B, doctrinis C; documento A. — 3, 2 spiritus A. — 4, 1 satis sanctum alios BCD. — 4, 2 lucrare C. — 4, 3 Tu pater alme BD; Tu pater sancte C; grege cum centeno BCD. — 5, 1 Quo tot a A; Castra per orbem BCD, concentu resultant D, cantu resultant B, cantantur resultant C. — 5, 2 Et tuis scriptis animae lucrantur BCD. — 5, 4 precari B. — 6, 2 cum perennis C. — 6, 3 Deus unus una A. — 6, 4 Omne per aevum A. — Mel. nach 1, 1 und 3, 1 jedenfalls: Ut queant laxis.

134. De sancto Benedicto.

Ad Vesperas.

1. Gloriosae civitatis
jam receptus moenibus,
Benedicte, pater sancte,
vacas Dei laudibus,
Primos gradus sanctitatis
tenens in sublimibus.

2. Hoc cadaver mortuorum
redivivum loquitur,
Hoc caecorum plurimorum
visibus adstruitur,
Quod majestas deitatis
tuis paret precibus.

3. Quidam per te fluctus maris
pressit Petro tutius,
Fide currens ac revertens
non complutis pedibus,
Talis virtus est adscripta
Benedicti laudibus.

4. Cum falcastrum de profundo
sursum aquae rediit,
Tunc natura jussu tuo
sua jura perdidit,
Ita Deus vitam tuam
commendat miraculis.

5. Ista fiunt manifesta
per terrarum spatia,
Hinc laetantur boni greges
sub tua custodia,
Quia tibi non resistunt
quaelibet incommoda.

6. Hinc laus tibi, sancte pater,
hinc honor et gloria,
Cujus sola dominatur
ubique potentia,
Cujus regnum non vacillat
per aeterna saecula.

Brev. ms. S. Albini Andegaven. saec. 15. ex. Cod. Andegaven. 108. A. — Brev. S. Albini Andegaven. imp. Andegavi 1531. B. — Steht zum festum translationis in A.

135. De sancto Bernhardino.

In 1. Vesperis.

1. Gaude, mater ecclesia,
Novum producens filium,
Cujus sacra solemnia
Plebs recenset fidelium.

2. Ortus de Massa creditur
Bernhardinus ex tempore,
Sed Aquilae congreditur
Coelum migrans e corpore.

3. O beata nativitas,
Sacer quoque puerulus,
In quo fulsit fecunditas
Virtutum atque cumulus.

4. Nam ejus conversatio
Vitae nec non primordia
Fervensque praedicatio
Salutis sunt exordia.

5. Jesum voce melliflua
Eructavit in gentibus,
Dicens quaeque superflua
Praeter ipsum credentibus.

6. Virtutem, poenam, gloriam
Praedicavit et vitia
Atque mortis memoriam
Orbis terrae per spatia.

7. Sic a peccatis populum
Conatus est disjungere
Amorisque per vinculum
Semper Deo conjungere.

8. Laus Christo Jesu debita
Sanctoque suo pariter
Bernhardino sit reddita
Ab omnibus concorditer.

Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. A. — Psalt. ms. Franciscan. Mosaetrajecten. saec. 15. Cod. Hagen. J 4. B. — Brev. ms. Franciscan. de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. C. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1049. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 13244. E. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1314. F. — 2, 1 de messa D. — 7, 1 Hic a peccatis D.

136. De sancto Bernhardino.

Ad Nocturnum.

1. Splendor paternae gloriae
Mundo mire resplenduit,
Dum Bernhardinus varie
Divina luce claruit.

2. Haec lux serenum contulit
Caliginosis mentibus,
Dum verba vitae protulit
Ad ipsum confluentibus.

3. Quis sane fari poterit,
Ad Deum quanto studio
Peccatores converterit
Doctrinae lucis radio?

4. De sacris his operibus
Attestatur Italia,
Quae de contritis cordibus
Fatur Dei magnalia.

5. Nam monens hic salubriter
Reos ad poenitentiam,
Clamabant unanimiter
Dei misericordiam.

6. Caedebant immanissime
Duris carnem funiculis,
Plangentes amarissime
Peccata coram populis.

7. Exemplum poenitentiae
Praebebant isti ceteris,
Linquentes indulgentiae
Formam sequendae posteris.

8. Hujus ducatu semita
Reos ad Christum dirigat
Bernardini per merita,
Ejus iram qui mitigat.

Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. Cod. Collegii S. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. A. — Psalt. ms. Franciscan. Mosaetrajecten. saec. 15. Cod. Hagen. J. 4. B. — Brev. ms. Franciscan. de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. C. — Noct. ms. Franciscan. saec. 15. ex. Cod. Lugdunen. 476. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1049. E. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1314. F. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 13244. G. — 1, 2 mire splenduit E. — 4, 3 Atque contritis B. — 4, 4 Fantur EF.

137. De sancto Bernhardino.

Ad Laudes.

1. Beata coeli gaudia
Sanctus cum sanctis obtinet
Bernhardinus per media
Meritorum, quae retinet.

2. Sacra vita promeruit
Jugis atque continua,
Quod adipisci debuit
Dona, quae sunt perpetua.

3. Hic pius et amabilis
Exstitit ab initio,
Castus, pauper et humilis,
Cavens ab omni vitio.

4. Praedicator egregius
Cunctos docens utilia,
Cordis cujus vox ocius
Tangebat penetralia.

5. Usuras, meretricia,
Fraudes, lites compescuit,
Pompas et quaeque vitia
Detestando prohibuit.

6. Sospitatis debilium
Collator fit salvificus
Defunctorumque plurium
Suscitator magnificus.

7. Signa quippe sunt omnia,
Quod sanctus iste varie
Meruerit perennia
Gaudia coeli curiae.

8. Laudetur sancta trinitas,
Virtute cujus facta sunt,
Bernardinique sanctitas,
Per quem donata consistunt.

Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. A. — Psalt. ms. Franciscan. Mosaetrajecten. saec. 15. Cod. Hagen. J. 4. B. — Brev. ms. Franciscan. de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. C. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1049. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1314. E. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 13244. F. — 1, 1 Sacrata coeli gaudia D. — 1, 4 qui retinet F. — 2, 1 Vita sacra C. — 2, 2 Jugis ac continua D, Vigens atque E, Jugis atque continentia B. — 5, 3 Pompas atque vitia E. — 6, 1 Hospitatis (falsche Initiale) D; Hospitalis E. — 7, 1 Si qua quippe D. — 7, 3 Meruit D. — 8, 2 Cujus virtutes facta sunt E. — 8, 4 Per quam D, dogmata C.

138. De sancto Bernhardino.

In 2. Vesperis.

1. Proles clara, Christo cara,
Divino freta munere,
Mundo datur, plebs laetatur
Jam lucis orto sidere.

2. Bernhardinus, vir divinus
In salutem credentium
Ardet totus, per te motus,
Jesu, lux vera mentium.

3. Dum prudenter et ardenter
Hic praedicando resonat,
Obsecrando, increpando
Vox clara, ecce, intonat.

4. Sic enervat et praeservat
Plures a culpae sordibus,
Hinc jucundus adsit mundus,
Exsultet coelum laudibus.

5. Mundum istum propter Christum
Calcans et cuncta terrea,
Quaerens Deum mox in eum
Lux, ecce, surgit aurea.

6. Hinc languores et dolores,
Morbos sanat et vulnera,
Quo censetur, quod meretur
Aeterna Christi munera.

7. Miracula per saecula
Fiunt ejus per media,
Quisque curet, ut procuret
Beata nobis gaudia.

8. Jesum laudat, quem collaudat
Tota coelestis curia,
Sic laudetur, per quem detur
Aeterna coeli gloria.

9. Hunc precemur, quod locemur
Sacro sanctorum agmini,
Ut ita sit, nobis adsit
Iste confessor Domini.

10. Qui nos servet et praeservet
A morsu canis rabidi
Nosque ducat et perducat
Ad coenam agni providi.

Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. A. — Psalt. ms. Franciscan. Trajecten. saec. 15. Cod. Hagen. J. 4. B. — Brev. ms. Franciscan. de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. C. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1049. D. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1314. E. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 13244. F. — 4, 1 Hic emanat D. — 6, 3 censetur et DF; testetur quod. E. — 7, 3 ut fehlt. D. — Str. 9 und 10 fehlen DEF.

139. De sancto Bernhardino.

Ad Vesperas.

1. Magne Francisci celeberque nate,
Digna tam sacri soboles parentis,
Tam sacrae stirpis pretiose fructus,
O Bernhardine.

2. Nunc ades miti placidoque vultu
Et pias audi meritisque laudes,
Quas tibi laeto modulamur ore
Turba fidelis.

3. Sancta praeluxit teneris ab annis
Flosculis tamquam tua vita flagrans,
Sobrium mirae referens et altae
Mentis odorem.

4. Mox graves mundi fugiens labores
Liber et tanta rabie malorum
Te Deo cunctis penitus relictis
Sponte dicasti.

5. Laeta jucundae capiens quietis
Dona terrenis meliora cunctis
Atque tranquillae placidaeque pacis
Gaudia carpens.

6. Laus tibi, summe pater atque fili,
Quique procedis simul ex utroque,
Spiritus sancte, Deus unus idem,
Laus tibi semper.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 101. — 1, 2 sobolis. — 1, 4 O fehlt. — 2, 1 lies adsis?

140. De sancto Bernhardino.

Ad Nocturnum.

1. Surge nec tantum tibi crede natum,
Cerne labentem populum fidelem
Atque doctrinis monitisque sanctis
Fortiter insta.

2. Nemo te lingua melior modisve
Aptior mentes hominum movere,
Sive turbatas rabido furore
Sive remissas.

3. Mira sunt, quae tu quasi cultor agri,
Optimus parens, bona seminasti,
Unde virtutum seges orta crevit
Tanta per omnes.

4. Unde tot diri scelerum reatus
Eruti tamquam tribuli nocentes,
Nec minus linguae tua vita compar
Factaque dictis.

5. Quippe qui magnos apices et amplas,
Qui facultates, totiens rogatus
Spernis praeesse tenuisque vitae
Ductus amore.

6. Laus tibi, summe pater atque fili,
Quique procedis simul ab utroque,
Spiritus sancte, Deus idem unus,
Laus tibi semper.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 101. — 3, 2 Optimus pacem Hs. — 5, 3 Spernes Hs.

141. De sancto Bernhardino.

Ad Laudes.

1. Clara sic cunctis tua facta virtus,
Sic tuae sanctae vaga fama vitae,
In dies major celebratiorque
Coepit haberi.

2. Sic gravi tandem miseraque liber
Mole terrena jubilans tulisti
Digna pro tantis meritis supernae
Praemia vitae.

3. Ut memor nostri, veluti solebas
Ante morbosis animis mederi,
Omnibus morbis ita nunc gravata
Corpora cures.

4. Gaudeat, quae te genuit Senensis,
Ipsa quae nomen tibi gloriosum
Insubris dedit, Aquilana quae te
Patria servat.

5. Gaudeant omnes animae beatae,
Spiritus omnis simul angelorum,
Cum quibus felix habitas per aevum
Omne triumphans.

6. Laus tibi, summe pater atque fili,
Quique procedis simul ab utroque,
Spiritus sancte, Deus idem unus,
Laus tibi semper.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 101. — 3, 4 curas. — 4, 3 dedit ergänzt.

142. De sancto Bernhardino.

Ad Vesperas.

1. Auctor orbis, victor morbis,
O quem virgo parturiit,
Bernhardinus vespertinus
Proles de coelo prodiit.

2. Almum patrem, verum fratrem
Paupertatis tugurio
Vis professum, das confessum
In coelesti collegio.

3. Aquilana, urbs vesana
Tunc adspexit miracula,
Sine fletu, sine metu
Plaude, turba paupercula.

4. Decus morum extollitur
Per tantum patrem penitus
Et cuncti orbi noscitur
Franciscus, vir catholicus.

5. Almam prolem, pulchrum florem
In comitatu gloriae
Deus pavit et plantavit
En gratulemur hodie.

6. Urbs serena tanto plena
Jam exsultat dotario,
Dic patenter, dic valenter:
Laus regi plena gaudio.

7. Urbs severa tunc revera
Multorum caedem civium
Statuisti, hunc misisti
Jesu, lux vera mentium.

8. Vivat Deus Nazaraeus,
Pater, verbum, paraclitus,
Nos confortare, visitare,
Veni, creator spiritus.

Brev. ms. Franciscan. anni 1463. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 206. A. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1046. B. — 4, 2 Franciscus vir catholicus B. — 4, 4 Per tantum patrem penitus B. — 7, 2 sedem B.

143. De sancto Bernhardino.

Ad Laudes.

1. Laudet Deum diluculo
Uterque chorus mutuo,
Per Bernhardinum inclitum
Mundum salvantem perditum.

2. Quo gaudet sine schismate
Jubilaeus annus coelitus,
Coronat diademate
Hunc praesul apostolicus.

3. Qui vita et prodigiis
Per cunctum orbem rutilat,
Salutisque suffragiis
Fideles Christi visitat.

4. Caecis lumina renovat,
Arentes artus solidat,
Tabentes sensus sospitat,
Quos languor jam consumpserat.

5. Hic foris templum praedicans
Cadentem sedat pluviam,
Absens migrantem viderat
Suae nutricis animam.

6. Hinc omne laudet saeculum
Patrem, verbum, paraclitum,
Huic celebrans solemnia,
Sed pro merendi gratia.

Brev. ms. Franciscan. anni 1463. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 206. A. — Brev. ms. Franciscan. (?) saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2864. B. — Brev. ms. Franciscan. anni 1492. Cod. Monacen. 23152. C. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 1046. D. — 1, 1 Deus D. — 2, 2 coelicus A. — 3, 4 Fidelesque C. — 4, 1 lumen ABD. — 4, 4 tam consumpserat C, tam praesumpserat BD. — Str. 5 fehlt C. — 5, 2 cedat fumiam D. — 6, 1 Hinc fehlt BC, verschrieben D.

144. De s. Bernhardo Monthono.

1. Sancti spirat laus Bernardi
Boni sicut ordor nardi,
Qui signatur monte Jovis
Sanctus esse signis novis.

2. Est infernus mons Jovinus
Caritatis factus sinus,
Ibi Christus adoratur
Et pascitur et potatur.

3. Fecit domum in inferno,
Regi curam dat aeterno,
Et quod porta fuit mortis,
Paradisi patet portis.

4. Per Bernardum est infernus
Locus factus nunc supernus,
Interveniat pro nobis,
Lapsis nimis montis Jovis.

5. Deo patri gloriemur,
Suum natum veneremur,
Sanctum flamen collaudare
Debet coelum, terra, mare.

Brev. ms. Montis Jovis saec. 13/14. Cod. Angelicus D V 9. add. saec. 15. — An anderer Stelle ist ein zweiter Hymnus zugeschrieben gewesen mit dem Anfang: Laudes Deo promittite Turbae piorum inclitae, das meiste ist aber vom Buchbinder abgeschnitten.

145. De sancto Blaano.

Ad Vesperas.

1. Christe, cunctorum praesulum corona,
Permanens solus praesul sempiternus,
Festa Blaani praesulis nos digne
Fac celebrare.

2. Hic calcans mundi cuncta blandimenta
Servire tibi digno famulatu
Studuit semper, cum mansit in hujus
Corpore mortis.

3. Multiplicavit dispensator prudens
Sic sibi pauca commissa talenta,
Quod supra multa coelo constitutus
Gaudio regnat.

4. Quo, pie Christe, illius obtentu
Te deprecamur, tanto cum patrono
Fac conregnare culpis expiatos
Servulos et nos.

5. Sit regi summo doxa, laus et virtus,
Qui regnans unus tribus in personis
Cuncta creavit, regit et per saecla
Nescia finis.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — 3, 3 fehlen zwei Silben; coelo ergänzt.

146. De sancto Blaano.

Ad Laudes.

1. Turba refulsit coelica,
Plaudat chorus fidelium,
Digna Blaani merita
Commemorans alacriter.

2. Hic Dei verbum praedicans
Gentes convertit perfidas,
Conversos per miracula
Crebra Christo consolidans.

3. Piscem coxit spiramine,
Ignem profert ex digitis,
Regis natum ter suscitat
Addens visum cum specie.

4. Mire messores reficit,
Cadit praedo per flumina,
Ignoscentisque praesulis
Servus abegit pecora.

5. Christum rogemus supplices,
Ut per hujus precamina
Peccata pie condonans
Sua det nobis gaudia.

6. Sit Deo laus et gloria,
Trino simul et simplici,
Solus qui providentia
Cuncta regit mirabilis.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510.

147. De sancta Blandina.

In Vesp. et Laud.

1. Rex aeterne, piissime,
Tu fidelium redemptor,
Atque Blandinae protector
Virginis benignissime.

2. Quae ascendit ad gloriam
Per martyrii triumphum
Atque passionis scyphum,
Quem bibit, et victoriam.

3. Ut animae potentiam
Trinam rex noster protegat
Actusque nostros dirigat,
Suam roget clementiam.

4. Tremunt videntes daemones
Hanc in gloriam erectam,
Ut ergo per viam rectam
Nos eamus omnes, ores.

5. Tu esto nobis gaudium,
Contra morbos et vitia
Adjutrix et propitia
Et singularis domina.

6. Hinc te precantes quaesumus,
Fac, ut nobis Deus parcat
Nosque ad gloriam ducat
Sempiternam, quam optamus.

Brev. Athanatense imp. in Coenobio Athanatensi 1520. — 1, 4 fehlen drei Silben; virginis ergänzt. — 3, 4 Tuam roget. — 4, 4 oret; der Reim mit 4, 1 sowie die folgenden Strophen scheinen ores zu fordern. — 5, 2 Blandina contra morbos et vitia.

148. De sancta Blandina.

Ad Nocturnum.

1. Jesu, redemptor unice,
Martyrum dux et gloria,
Tu Blandinam mirifice
Sublimasti victoria.

2. Quam traxisti daemonia,
Mundum carnemque vincentem,
Vitia quoque omnia
Et terrena conculcantem.

3. Penatum penetrans claustra
Valde fidelis et fervens,
Martyrii petit antra,
In quibus monstratur constans.

4. Ipsa nunc coelo residens
Te rogamus, o domina,
Ut Deus nobis sit clemens,
Fac, per saecla sempiterna.

5. Tu esto nostrum gaudium
In hoc fallibili mundo,
Ut attingamus bravium.
Prius tamen corde mundo.

6. Gloria donetur patri
Jesuque, ejus filio,
Atque sancto spiritui
Nunc et aevo perpetuo.

Brev. Athanatense imp. in Coenobio Athanatensi 1520.

149. De sancto Blasio.

1. Adstemus mente vigili
Summo summorum principi
Recursione annua
Lucis agentes gaudia.

2. Qua beatum pontificem,
Sanctae legis opificem,
Blasium chorus coelitum
Conjunxit per martyrium.

3. Hunc invocemus intimis
Suspiriis et lacrimis
Ut in exactu judicis
Poenas excuset meritis.

4. Concedat hoc ingenitus
Ingenitoque genitus
Et ex utroque prodiens,
Unus cuncta diffiniens.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109.

150. De sancto Blasio.

Ad Vesperas.

1. Athletae magni Blasii
Personemus praeconia,
Mediante propitii
Patravit benificia.

2. Praefulget innocentia,
Mentis odor diffunditur,
Sic in urbe Sebastia
Fidelibus praeficitur.

3. Praesul latere cupiens
Solis vacat coelestibus,
In publicum deveniens
Crebris micat virtutibus.

4. Examinatur acriter
Per diversa supplicia,
Quem consolatur dulciter
Christi misericordia.

5. Sic per lictoris gladium
Transit ad coeli solium,
Secum ducens consortium
Duorum innocentium.

6. Sit trinitati gloria
Triumphanti per Blasium,
Cujus nobis praeconia
Procurent vitae praemium.

Brev. ms. Nemaucense saec. 15. Cod. Roman. 1189. Sessor. 138. — 1, 3 lies: Medicantis propitii? — 1, 4 Petrantis. — 2, 4 proferre. — 3, 1 laetare. — 5, 1 per dictoris. — 5, 3 Cecum ducens.

151. De sancto Blasio.

Ad Laudes.

1. Cultorem Christi Blasium,
Clarum mirandis titulis,
Praesens laudet collegium
Et exaltet in populis.

2. Fidem servans catholicam,
Mentem gerens angelicam
Et vitam apostolicam
Coronam civit coelicam.

3. Septem devotae feminae
Sacrum cruorem colligunt
Sicque pro Christi nomine
Dira perferre diligunt.

4. Consummat tirocinium
Martyr Christi per gladium,
Sic rex creator omnium
Justum solvit stipendium.

5. Hujus triumphi gloria
Claret et innocentia
Triumphantis et gratia
Signorumque frequentia.

6. Sit trinitati gloria
Triumphanti per Blasium,
Cujus nobis praeconia
Procurent vitae praemium.

Brev. ms. Nemacense saec. 15. Cod. Roman. 1189. Sessor. 138. — 1, 4 exsultet. — 3, 4 proferre.

152. De sancto Blasio.

Ad Vesperas.

1. Cordis, oris tripudio
Congratulemur Blasio
Et in ejus constantiam
Christo canamus gloriam.

2. Vir bonae praesul indolis
Sebasteis ab incolis
Fit martyr suo sanguine
Fuso pro Christi nomine.

3. Idola spernens capitur,
Captus flagellis caeditur
Ferreisque pectinibus
Laniatur in carnibus.

4. Clamat inter supplicia:
Christus in sua gratia
Me confortat et ideo
Poenas, ait, non timeo.

5. Collum truncatur capite,
Directo scandit tramite
Honore pro victoria
Coronatur in gloria.

6. Ejus, o Christe, precibus
Tuis parce supplicibus,
Unus patri cum flamine,
Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 2061. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). C. — Brev. Forojuliense imp. Taurinis 1495. D. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. E. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. F. — 1, 2 Congratuletur A. — 2, 1 Sebastis et ab D. — 5, 1 Celum truncatur DE, Telo truncatus B. — 5, 4 Honoratur in A.

153. De sancto Blasio.

Ad Laudes.

1. Nostris intende laudibus,
Qui laudas in coelestibus
Trinum Deum mirificum,
Martyr Dei, qui unicum.

2. Da, Blasi, supplicantibus,
Quod Christus te poscentibus
Promisit se tribuere
Tui precatus munere.

3. Cum puer morti deditus
Per te sanatur coelitus,
Mortis per tua merita
Soluta sunt jam vincula.

4. Te lacus sursum tenuit,
Qui gentiles absorbuit,
Fisos in idolatria,
Deo patri sit gloria.

5. Cum Blasio fac vivere
Suumque festum colere
Nos semper devotissime,
Praesta, pater piissime.

6. Ab utroque lux radians,
Hic radia nos expians,
Simplex et sola deitas,
O lux beata trinitas.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 1061. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). C. — Brev. Forojuliense imp. Taurinis 1495. D. — Brev. Arelatense imp. Arelati 1501. E. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. F. — 4, 1 Te locus sursum D; De lacu sursum B. — 4, 3 Philosophos idolatria A; Fixos in E; Fizos in D. — 5, 4 Jesu piissime AD.

154. De sancta Brigida.

1. Phoebi diem fert orbita
Plenum decoris gratia,
Qui Brigitae pro laurea
Mundo ministrat gaudia.

2. Hanc spina tamquam lilium
Stirps protulit mortalium,
Splendore carnis nobilem,
Candore carnis caelibem.

3. Haec pro supernis ceteras
Carnis fugit blanditias,
Aegris tulit levamina
Egentibus cibaria.

4. Sponsique per suffragium
Hostile vicit proelium,
Signis et actu vivere
Se monstrat arvis coelice.

5. Ob Salomonis gloriam
Reliquit Aethiopiam,
Ornant olivae vasculum,
Regale sumat ferculum.

6. Haec gemma regis fulgida
Numae kalendis sarcina
Soluta carnis coelica
Conscendit ad palatia.

7. Ubi laborum praemio
Jam compta flore lacteo
Gregi adhaeret candido,
Agno canens altissimo.

8. Ah, nos pudoris speculum
Virtute duc precaminum,
Laudemus ut pro gratia
Tecum regentem saecula.

9. Laus sit patri, laus filio,
Laus flamini sanctissimo,
Uni substantialiter
Trinoque personaliter.

Hymn. ms. Hibern saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. E 41. 2. — 3, 1 supernis cedere. — 4, 2 Hostile visit praemium. — 6, 2 Der Todestag der Heiligen ist der erste Februar, der vom Dichter Numae Kalendae genannt wird, weil der Monat Februar der römischen Überlieferung zufolge von Numa Pompilius eingeführt worden.

155. De sancto Caesario.

Ad Vesp. et Noct.

1. Salve, Dei o athleta
verusque deicola,
Numeratus inter membra
ejus beatissima,
Cum quo gaudes in superno
coelorum palatio.

2. Cum fuisti hujus vitae
clausus taetro carcere,
Extendisti ad supernum
clarum lumen patriae,
Ubi magno cum decore
laetaris magnifice.

3. Miserere tuae plebi,
tibi tantum supplici,
Veniam poscens delicti
criminosi populi,
Veneno commaculati
foetido diaboli.

4. Incolarum coelicorum
junctus es a Domino,
Cui servisti devoto
corde et purissimo,
Cum quo gaudes in praepulchro
sanctorum collegio.

5. Exoramus toto nisu
cordis, mentis gemitu,
Ut sanctorum in conventu
laetemur intuitu,
Gaudeamus atque visu
regis Domini Jesu.

6. Deo patri sit praecelsa
et aeterna gloria,
Ejus proli laus devota
cum luce clarissima,
Flamini sit laus sonora
in aeterna saecula.

Brev. Arelatense imp. Arelati. 1501. — 3, 6 fetitudo diaboli. — 6, 1 sic praecelsa.

156. De sancto Caesario.

Ad Laudes.

1. Felix dies jam resurgit
clarus atque nobilis,
Revehit qui festum nobis
praesulis Casarii,
Illius pii pastoris
nobis tam amabilis.

2. Ora, pater, ora, pastor,
pro devoto populo.
Monachorum, clericorum
sacro pro collegio,
Ut immunes ab inferno
copulemur Domino.

3. Sit laus patri, sit laus proli
et sancto spiritui,
Qui nos peccatis dimissis
liberet ab inferis,
Societ cum sanctis suis
angelicis civibus.

Brev. Arelatense imp. Arelati 1501.

157. De sancto Cannato.

Ad Vesperas.

1. Gaudeat urbs Massilia
Per sanctorum solemnia,
Pastor cujus est Cannatus
Conjunctus ei Maurontus.

2. Ambo simul cum ceteris
Sanctis orent pro servulis,
Remittat eis scelera,
Qui regna dat coelestia.

3. Ut valeant conscendere,
Ubi regnat rex gloriae,
Et cum sanctorum coetibus
Congaudeant coelestibus.

4. Tu, praeclare Antonine,
Qui es pastor justitiae,
Ora pro nobis Dominum,
Ne temptemur per malignum.

5. Et post mortis exsilia
Tecum simus in gloria,
Et cum sanctis martyribus
Jungamur confessoribus.

6. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Qui per eorum merita
Nos perfrui det gloria.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530.

158. De sancto Cannato.

Ad Laudes.

1. Rex Christe o piissime,
Qui es formator machinae,
Cui servivit Cannatus,
Bonus, sanctus atque castus.

2. In deserto commedebat
Radices dum consistebat,
Nam loci prae angustia
Ejus aquae sunt pocula.

3. Ut tibi, Christe, serviret
Regnumque mundi sperneret,
Quod eidem veniebat,
Verbum tuum audiebat.

4. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Qui per eorum merita
Nos perfrui det gloria.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530.

159. De sancto Cantio.

Ad Vesperas.

1. In honore trinitatis
Laudem tribus sociis,
O fideles, impendatis
Paribus praeconiis
Ac tres pares attendatis
Vita, nece, praemiis.

2. Hos attollit per Romanos
Atavos nobilitas,
Quos appellat Cantianos
Nominis aequalitas,
Hos adunit ut germanos
Fides, spes et caritas.

3. Erat autem haec germana
Romae praesens concio,
Cum per urbem inhumana
Perstrepebat jussio,
Quod in plebe Christiana
Saeviret occisio.

4. Jussionis hujus durae
Audita saevitia
His exire fuit curae
Urbis saevae moenia,
Ubi mortis incursurae
Spondentur stipendia.

5. Dum Romanae sunt relicta
Urbis appenditia,
Urbem petunt, quae tunc dicta
Erat a Aquileia,
Ubi credunt, quod restricta
Magis sit malitia.

6. Sed vult secus operari
Dei dispensatio,
Quae lucernam occultari
Non perfert sub modio,
Nam ut queant coronari,
Maturat martyrio.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE

7. Urbis intrant simul fores,
Ad quam simul properant,
Ubi vident saeviores,
Quam Romae reliquerant,
Nam ad ictus se lictores
Contra sanctos efferant.

8. Illic vinclis subjacebat,
Quorum non est numerus,
Illum regem qui colebant,
Cujus regnat humerus,
Per quem vinci se videbant
Lucifer et inferus.

9. Dum sanctorum divulgatur
Adventus fidelium,
Dehinc lictor delegatur
Deferens imperium,
Jovi chorus ut cogatur
Ferre sacrificium.

10. Sancti jussum audientes
Unum Deum praedicant,
Plures deos diffidentes
Uni Deo supplicant,
Christianos se dicentes
Christum sic magnificant:

11. Una Deo confitemur
In Christum nos credere,
Quem omnino profitemur
Velut summum colere,
In quo sumus et movemur,
Qui nobis est vivere.

12. Est in florem virgae Jesse
Credendum realiter,
Nulli potens est prodesse
Ille miser Jupiter,
Hunc qui colunt, est necesse
Condemnari turpiter.

13. Dum responsa germanorum
Geruntur ad judicem:
Decet, inquit, ut deorum
Dedecus mox vindicem
Sententia, quod eorum
Quisque perdat verticem.

14. Ut recedant, colloquuntur
Sancti, pro saevitia,
Jugo muli conjunguntur
Ad viae servitia,
Sed viarum corrumpuntur
Intra parva spatia.

15. Hujus viae velox gressus
Non est fugae vitium,
Sed apertus est professus
Servorum fidelium,
Quos ad mortem indefessus
Ducit ad martyrium.

16. Sancti simul comprehensi
Persequentum rabie,
Consequenter dantur ensi
Et sic sunt in requie,
Quorum villa nunc Stampensi
Quiescunt reliquiae.

17. Coelum post ingrediuntur,
Subintrant identiter,
Nam ad mortem non traduntur
Aliter et aliter,
Una hora sed plectuntur
Et ab uno pariter.

18. Res miranda, digna dictu,
Dei surgens opere,
Quod furoris in conflictu
Mortis dato vulnere
Lac in ipso coepit ictu
Ferientis fluere.

19. Sit laus summae trinitati,
Sit honor et gloria,
Pro qua sancti simul pati
Pensarunt supplicia,
Ut in donis compensati
Meterent duplicia.

Cod. Parisin. 17331. saec. 16. — 4, 1 dirae. — Vor Str. 7 Divisio ad Nocturn. — 9, 2 wieder sanctorum fidelium; adventus Konjektur. — 11, 1 confitentur. — 11, 2 se credere. — 11, 3 profitentur. — Vor Str. 13 Divisio ad Laudes. — 16, 2 Per quenteni rabie. — Mel.: Pange lingua.

160. De ss. Caprasio et Venantio.

1. Sanctorum merita pangamus, socii,
Caprasii, Venantii, quorum vestigia
Sequamur humili corde et opere
Laudantes digne Dominum.

2. Primus pastor fuit docens discipulum,
De stirpe regia natum sed gratia,
Qua fiunt omnia, fonte baptismatis
Renatum plene reddidit.

3. Hi sunt, quos inclita haec tenet insula,
Quos multi martyres, sed plus confessores
Ac plures praesules sese secuti sunt
Ad regna juste coelica.

4. Athleta juvenis, offer obsequia
Pro tuis famulis, per tua merita
Duc nos ad bravia, quibus inhabitas,
Per tuas sanctas semitas.

5. Te, trina deitas unaque, poscimus,
Ut tu nos visites horum precatibus,
Nos quoque collocans tuis agminibus
Finitis vitae cursibus.

Brev. ms. Lirinense saec. 15. Cod. Parisin. 10486. — 3, 4 juste coelestia. — 5, 3 collocens.

161. De sancto Cassiano.

Ad Laudes.

1. Exsultent mundi climata,
Regio magis Gallica
Cassianoque cantica
Voce depromat physica.

2. Fundatoris coenobii
Testis Victoris Domini,
Cassiani melliflui
Festum colamus cernui.

3. Hic natione Scyticus,
Omni doctrina fulgidus,
Minus nullo sublimius,
Quod se patet legentibus.

4. Effectus puer monachus
Et eremita publicus
Vixit in illis partibus
Sanctus plenus dogmatibus.

5. Post transfretavit maria,
Repertus est in Gallia
Docens Dei magnalia
Per populos aequalia.

6. Construxit post coenobium
Honore Dei martyrum
Sat ingens et maritimum
Et cunctis famosissimum.

7. Pater hic in Massilia
Fratrum est quinque milia,
Valde quibus utilia
Descripsit mirabilia.

8. Cujus fulget Italia
Doctrina cum Hispania,
Ut lampade Titania
Cunctam pellens vesaniam.

9. Perpetrata post mystica
Prole nam cum Davidica
In patria politica
Magnus regnat coelicola.

10. Cassiane sanctissime,
Roga Deum saepissime,
Tuus sequatur gregulus,
Quo pervenisti praevius.

11. Laudetur semper trinitas,
Omnis prorsus divinitas,
In Cassiani gloria
Cum ingenti victoria.

Brev. ms. S. Victoris Massiliensis anni 1497 (Privatbesitz). — Ganz so findet sich der Hymnus auch in dem spätern Proprium von Marseille, imp. 1568, nur dafs unsere Quelle 7, 4 Desumpsit statt descripsit liest.

162. De sancto Cassiano.

Ad Nocturnum.

1. Audi, Deus, clamantium
Ad te preces, adstantium
In Cassiani gloria
Ac transitus memoria.

2. Qui nominis causa tui
Oblitus est rerum sui
Fecitque vim multam sibi,
Habere quo posset tibi.

3. Nam dum beate vivere
Parvus puer decerneret,
Non haesitavit mittere
Collum jugo sub regulae.

4. Perfectus hinc Christicola
Per vasta deserti loca
Famem sitimque et frigora
Per longa suffert tempora.

5. Hunc Galliae degentibus
Aegyptus ex parentibus,
Plenum dedit dogmatibus
Charisma sancti spiritus.

6. Hunc per Dei consilia
Deveniens Massiliam
Fecit duo coenobia
De speciali copia.

7. Hinc plurimarum virginum
Ac monachorum milium
Christo dicat mox agmina
Sanctus pater sub regula.

8. Post multa quorum milia,
Quae misit ad coelestia,
Deductus ipse postmodum
Ad coelicum palatium.

9. Sit laus patri cum filio
Sanctoque cum paraclito,
Qui Cassiano gloriam
Concessit et victoriam.

Brev. ms. S. Victoris Massilien. anni 1497 (Privatbesitz). — 2, 3 vim multa sui. — 2, 4 lies: Placere quo? — 5, 2 lies: Aegyptiis?

163. De sancto Castore.

In 1. Vesperis.

1. Concinens festum celebret fidelis
Plebs sacer noster, quia scandit aethra
Hodie sanctus merito refulgens,
Comptus honore.

2. Urbe Aptensi renitet beatus
Castor et pastor pariterque dignus,
Pontifex noster simul et sacerdos
Mansit in aevum.

3. Nobilis natus generis probatur
Ac parentelae legitur senilis,
Dives effectus dapibus gazarum,
Doctus honeste.

4. Qui legens multum studiis repletur,
Lecta novit quam potius legisset
Atque sic fluctus rapuit profundos,
Doctus ut esset.

5. Inde, quas mundo reparavit actus,
Ad Deum prorsus revehuntur, usus
Sicque, quo vixit, Domino dicavit
In paradisum.

6. Gaudet amplecti pietatis usum,
Pauper in rebus maluit teneri,
Ut Deo junctus potuisset astris
Dives haberi.

7. Gloriam patri referamus almo
Ac suae proli simul aeque sancto
Flamini, semper Deus est et unus
Omne per aevum.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 1, 3 refulget.

164. De sancto Castore.

Ad Nocturnum.

1. Confessorum consortio
Castor collega colitur,
In sanctorum rosario
Confessor hic inseritur.

2. Apte Castoris praesulis
Vita fulget in gratia,
Insignita miraculis
Devotione praevia.

3. Salutis verbum docuit
Et fidei insignia,
Aptae plebi dum praefuit
Verus pastor in gratia.

4. Terrena Castor gaudia
Caduca sprevit penitus
Anhelans ad coelestia,
Vitam contemplans coelitus.

5. Honestae vitae opera
Hic in terra exercuit,
Ob quam sanctorum foedera
Castor pius promeruit.

6. Roga, Castor, summum regem
Et sanctorum collegia,
Ut conservet tuum gregem
A daemonis versutia.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532.

165. De sancto Castore.

Ad Laudes.

1. Castor, praesul Aptensium,
Aptam rexit in gratia,
Convertens infidelium
Coetus a gastrimargia.

2. Tempus erat pluviosum,
Dum hic Manancham pergeret,
Nubilosum et ventosum,
Ut vix se quisquam nosceret.

3. Sed cereus lumen dabat
Nec hic vento exstinguitur,
Quem in manu deportabat
Largus, nec imbre moritur.

4. Castor missam celebrabat
Salvatoris ecclesia,
Nemo sibi ministrabat
Nisi dia collegia.

5. Largus inde divulgare
Volens facti praeconia,
Sanctus ei: noli, care,
Revelare coelestia.

6. Si dixeris, quae videris,
Perdes vitae solatia,
Mortis casu decideris
Ad loci trini spatia.

7. Id idem Largo contigit,
Quod hic sanctus praedixerat,
Nam mortis casu cecidit,
Quia non haec celaverat.

8. Deo patri laus, gloria
Detur et unigenito,
Cui virtus, potentia
Sancto simul paraclito.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532.

166. De sancto Cataldo.

Ad Vesperas.

1. Cataldus, pudicitiae
Flos et candoris lilium,
Sanctitatis et gratiae
Vas et honor fidelium.

2. Splendens doctrinae radiis
Virginis domum fabricat
Radiansque prodigiis
A morte functos revocat.

3. Factus in vitae speculum
In praesulem eligitur,
Pandit scripturae pabulum,
Christi fides erigitur.

4. Gaude, Tarenti civitas,
Tali ditata corpore,
Cujus mira suavitas
Infirmos firmat robore.

5. Deo patri sit gloria.

Colgan Acta SS. Hiberniae p. 556 ex „Officio S. Cataldi Confessoris etc. imp. Parisiis 1607“.

167. De sancto Cataldo.

Ad Laudes.

1. Pange, lingua, mirifici
Confessoris praeconium,
Qui nos prece multiplici
Ducat ad coeli gaudium.

2. Cataldus, cujus hodie
Recolitur memoria,
Jam revelata facie
Regem cernit in gloria.

3. Hic mortuos resuscitat
Visumque caecis tribuit,
Hic daemones suppeditat,
Linguas mutorum acuit.

4. Curantur et lunatici
Confessoris praesidio,
Sanantur et frenetici
Repulso procul vitio.

5. Surdi patenter audiunt,
Lepra mundatur propere,
Contracti cursum capiunt
Hujus precatus munere.

6. Quae vox, quae lingua promere
Tot admiranda sufficit?
Nam versu cuncta stringere
Vox inexperta deficit.

7. Deo Patri sit gloria.

Colgan, l. c. p. 558. A. — Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. B. — Str. 4 und 5 fehlen A.

168. De sancto Christophoro.

1. Pange, lingua, Christophori
Celebre martyrium,
Cui nunc angelorum chori
Aula triumphantium
Cantus jubilant decori
Nutu regis gentium.

2. Nobis liquet, quod hic satus
Cananaeo germine,
Corde servit inaltatus,
Satan lusit tegmine,
Sed cui dabat famulatus,
Miro linquit ordine.

3. In suprema meta sectae
Positus, sermonibus
Eremitae dum directe
Obaudit in omnibus,
Portat, palpat Christum recte
Humeris et manibus

4. Verbum per hunc seminatur,
Quo populis proficit,
Casside mox cruciatur,
Sed rumphea deficit,
Statim coelum praestolatur,
Sic habet, quod sufficit.

5. Tantum ergo Palaestritam
Veneremur cernui,
Nobis ut det post hanc vitam
Luce sancta perfrui,
Nostram dirigens semitam
Et supplens defectui.

6. Genitori genitoque
Christopheri crucio,
Procedenti ab utroque
Honor, benedictio
In aeternum, ultra quoque
Perpes sit laudatio.

Psalt. ms. S. Fusciani saec. 12. Cod. Ambianen. 19. add. saec. 14/15. A. — Psalt. ms. S. Fusciani saec. 15. Cod. Ambianen. 20. add. saec. 15. B.

169. De sancto Christophoro.

Ad Veperas.

1. Laudes dicamus Domino
Christophori martyrio,
Quem Dagnus decollaverat,
Antequam sibi crederat.

2. Sagitta fixa lateri
Impervio Christophori
Exsiliit in oculum
Caecando Dagnum miserum.

3. Et sanguis aromaticus
Admistus terra martyris
Hujus caecati lumina
Clare referunt omnia.

4. Aquilina et Nicea,
Ambae sorores, sustinent
Per supradictum martyrem
Sertum sui martyrii.

5. Flores et frondes virgula
Emisit hujus plurimos
Omnes virides, martyre
Jubente ligno egredi.

6. Per cujus mirabilia
Sunt quadraginta milia
Octo Christum credentia
Et martyrem sequentia.

7. Laus, honor sit altissimo,
Qui contulit Christophoro
Laudes perennes martyri
In saeculorum saecula.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760. — 2, 2 Impredio Christophori Hs.

170. De sancto Christophoro.

Ad Laudes.

1. Militantis ecclesiae
Exsultet chorus hodie
Pro triumpho victoriae
Tuae, martyr Christophore.

2. Tuam testantur gloriam
Virtutes ac miracula,
Quae te fecisse in vita
Sancta canit ecclesia

3. Tu es insignis genere,
Tu Samson fortitudine,
Tu David pulchra facie,
Tu Paulus verbo doctrinae.

4. Quadringentorum militum
Te capere volentium
Mentes convertis ad Deum
Spernendo regis mandatum.

5. Dagni regis imperio
Subjiciuntur gladio,
Coronantur martyrio
In paradisi gaudio.

6. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos prece Christophori
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760. — 3, 1 Tua signi genere Hs.

171. De sancto Christophoro.

Ad Laudes.

1. Christophori collaudemus
Virtutum praeconium,
Gloriosum recitemus
Ipsius martyrium,
Ut per eum penetremus
Coeleste palatium.

2. Jacens humi prae dolore
Mulier erigitur,
Terra fixa virga flore
Vernans ramis oritur,
Plebs miratur miro more,
Populus convertitur.

3. Rex turbatur, transmittuntur
Milites egregii,
Deum laudant, consequuntur
Coronam martyrii,
Mulieres patiuntur
Gemmis laetae bravii.

4. Martyr orat, nec crematur
Nec sagittis tangitur,
Sagitta reciprocatur,
Lumen regis petitur,
Terra sanguine rigatur,
Regi visus redditur.

5. Christophore, veritatis
Doctor fulgens gratia,
Post tantae calamitatis
Praesentis dispendia
Fac aeternae claritatis
Nobis dari gaudia.

6. Sit laus summo genitori
Perennis ingenito,
Una summo redemptori,
Patris unigenito,
Par decus consolatori,
Inclito paraclito.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (787). — 3, 3 laudant sequuntur. — 3, 6 Gemis letinavii Hs., die Fassung im Texte Konjektur; die Handschrift ist in beispielloser Weise mit den widersinnigsten Textkorruptionen gespickt. — 4, 2 Ne sagittis. — 4, 4 Lumen regis poitur.

172. De sancto Christophoro.

Ad Vesp. et Noct.

1. Solemnitatis annuae
Colere mente memori,
Christe, tu nobis annue
Sancti diem Christophori.

2. Jam ejus praedicatio
Dedit pluribus pascua
Verae lucis cum gaudio
Coelicaque palatia.

3. Confirmatus miraculo
Monstratus virga florida
Fructiferaque populo,
Quae prius erat arida.

4. Fulgentem sic virtutibus
Dagnus injuste rapuit,
Coram regis adspectibus
Christum laudando micuit.

5. Inclusus tandem carcere
Procul pulsis erroribus
Jesum dedit cognoscere
Quibusdam mulieribus.

6. Una patri cum genito
Sit sempiterna gloria
Pneumatique paraclito
Lausque per cuncta saecula.

Brev. ms. Vivariense saec. 15. Cod. Avenionen. 219. — 4, 2 Digno inuste. — 5, 2 fehlen 2 Silben; pulsis ergänzt.

173. De sancto Christophoro.

Ad Laudes.

1. Miranda sancti passio
Christophori recolitur,
Qui salubri memoria
Coelesti dono fruitur.

2. Vir iste venerabilis
Veritatem edocuit,
Sed Dagnus, rex inutilis,
Justum damnare studuit.

3. Innocens pedes vinculis
Manusque vinculatus est,
Diris caeditur virgulis,
Ferrea virga laesus est.

4. Ignea laesus casside
Flammis diris exuritur
Angelicisque placide
Viribus hic eripitur.

5. Augetur inde laesio,
Nam sagittis injicitur,
Igneo tandem gladio
Caput erecto caeditur.

6. Tu coeli qui cum civibus
Gaudes, precare Dominum,
Tuis adjuti precibus
Mundemur labe criminum.

7. Sit genitori gloria
Semper et unigenito,
Dentur atque praeconia
Spiritui paraclito.

Brev. ms. Vivariense saec. 15. Cod. Avenionen. 219. — 3, 2 Manusque vincitur obest Hs. — 5, 2 sagittis insinitur.

174. De sancta Clara.

Ad Vesperas.

1. Clarum nomen effunditur,
Sacrum nomen extenditur,
Facto doctrina proditur,
Virtus divina panditur.

2. Construuntur coenobia
Vasta per orbis spatia,
Crescit sororum copia,
Claret matris notitia.

3. Defecit virtus corporis
Morto prolixi temporis,
Sumit augmentum roboris
Virtus sacrati pectoris.

4. Tandem languore premitur,
Laeta nimis egreditur,
Dies extrema clauditur,
Spiritus coelo redditur.

5. Te prosequentes laudibus
Piis faveto precibus,
Adesto postulantibus
Tuis, virgo, supplicibus.

6. Virginis hujus merito
Laus patri sit ingenito,
Gloria unigenito,
Virtus summa paraclito.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 34. — 3, 4 sacrati corporis.

175. De sancta Clara.

Ad Matutinum.

1. Sub paupertatis regula
Patris Francisci ferula,
Docta Christi discipula,
Luce respersit saecula.

2. Mundus et caro vincitur,
Matri Christi connectitur,
Christo prorsus innititur,
Pauperem pauper sequitur.

3. Spretis nativo genere,
Carnis et mundi foedere
Clauditur velut carcere
Dives superno munere.

4. Clauditur velut tumulo
Nequam subdita saeculo,
Patet in hoc ergastulo
Solum Dei spectaculo.

5. Tegmina carnis vilia
Urgens famis inedia,
Arta quoque jejunia
Praestant orandi studia.

6. Virginis hujus merito
Laus patri sit ingenito,
Gloria unigenito,
Virtus summa paraclito.

Brev. ms. Mariae de Pembroke, Comitissae Valentiae saec. 14. Cod. Cantabrigen. Dd. V 5. A. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Turonen. 148. B. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 34. C. — Str. 1 und 2 fehlen C. — 1, 3 Doctrina Christi B. — 2, 3 Christus B.

176. De sancta Clara.

Ad Nocturnum.

1. Exsultate, jubilate,
Pauperis matris filiae,
Convocatae, congregatae
A solis ortus cardine.

2. De novella tuis cella,
De paupertatis camera
Dempta solo, data polo,
Lux, ecce, surgit aurea.

3. Tu electa, praeelecta,
Quam sibi sponsus copulat,
Regnans, clara virgo Clara,
Aurora lucis rutilat.

4. Tu oliva primitiva,
Gemma primarum pauperum,
Quam honoras et decoras,
Jesu, corona virginum.

5. Laus et honor tibi, soror,
Qui jam te ditat pauperem,
Cujus dotes, cujus sortes
Urbs beata Jerusalem.

6. Pauper miles, cito dives,
Tibi dantur stipendia,
Pro servata fide data
Aeterna Christi munera.

7. Introisti, sponsa Christi,
In coelesti palatio,
Ubi vivis, spes captivis,
Jesu, nostra redemptio.

8. Tibi, Christe, laudes istae,
Pater et frater hominis,
Verbum patris, [fructus matris],
Consors paterni luminis.

Brev. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Parisin. 1290. — „In tono: Decus morum.“

177. De sancta Clara.

Ad Laudes.

1. De terra caliginosa
Lux novella nascitur,
Nobis stella luminosa
De tenebris oritur,
Quando de spineto rosa
Nostro jam colligitur.

2. Vita vivit gloriosa
Rosa, quae non moritur,
Atque vitis gratiosa
Viti vitae jungitur,
Virgo pauper, filiosa
Jam in coelis colitur.

3. Novum germen paupertatis
Virginum plantamina,
Novus fructus castitatis
Novo victu lamina
Sunt tuae fecunditatis
Nobis testimonia.

4. Christus, verbum veritatis,
Judex et justitia,
Princeps omnis caritatis,
Summi patris gloria,
Dux tuae virginitatis
Permanet in saecula.

5. Virgo primipila gerens
Sororum militiae,
Pede basiliscum terens
Hostili sub acie,
Cum coelesti rege quaerens
Foedus amicitiae.

6. Impetra nobis, o clemens,
Spiritum laetitiae,
Sponsa regnum Dei tenens,
Sponsa coeli gloriae,
Sponsa sponso jam adhaerens,
Sororum primitiae.

7. Virgo, mater orphanarum,
Fave nostris precibus,
Cito turbam filiarum
Duc te terrae faecibus,
Para locum nuptiarum
Pro tuis pauperibus.

8. Gratia, simplex et trine,
Tibi, Christe Domine,
Usia mentis divinae
Lumenque de lumine,
Qui cum patre sine fine
Regnas et cum flamine.

Brev. ms. Franciscan. saec. 14/15. Cod. Parisin. 1290. — „Cantatur in tono: Pange lingua.“

178. De sancta Clara.

In 2. Vesperis.

1. Coeli concentum hodie
Sed et astrorum numerum
Auxisti multifarie,
Conditor almae siderum.

2. Ecce Claram recolimus,
Sidus in orbe coelico,
Claram clarere dicimus
Ex more docti mystico.

3. Quanta sibi charismata
Collata sunt ex ordine,
Mundi perpendant climata
A solis ortus cardine.

4. Dum mnas quendam multiplicat
Vitam ducens spiritalem,
Te sibi jure vendicat,
Urbs beata Hierusalem.

5. Exemplar poenitentium
Carnis calcato vitio,
Te potitur in praemium,
Jesu, nostra redemptio.

6. Hinc minores nostri plaudant,
Solemnitati consonat,
Dum sorores Claram laudant,
Vox clara, ecce, intonat.

7. In conflictu viri fortes
Esse per hujus meritum
Mereamur et consortes,
Deus, tuorum militum.

8. Ut post mundi dispendium
Insultus atque taedia
Succedant in stipendium
Beata nobis gaudia.

9. Patri, nato, spiritui
Decus, honor, imperium
Nunc et semper, sicut fuit
Primo dierum omnium.

Brev. ms. Johannae Ebroicae, reginae Franciae, † 1371 (Privatbesitz). A. — Brev. ms. Mariae de Pembroke, Comitissae Valentiae saec. 14. Cod. Cantabrigen. Dd V 5. B. — Brev. ms. Card. Borbonii saec. 16. Cod. Parisin. 1288. C. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Turonen. 143. D. — 4, 1 Dompnas quondam C; mnas quosdam B. — 5, 1 poenitentiae C. — 5, 3 ponitur A. — 6, 2 consonant C. — 7, 1 vidi fortes C. — 8, 2 taedium B. — 8, 3 Juste cordant dispendium A.

179. De sancta Clara.

In 2. Vesperis.

1. Stella clara et praeclara
Aeterni solis radio
Te nunc duce gaudet luce,
Jesu, nostra redemptio.

2. Intus, foris vi amoris
Illuxit Clarae claritas,
In qua fulget et refulget,
O lux beata trinitas.

3. Christo claram rexit Claram
Franciscus ultor invidi,
Clara corda duce chorda
Ad coenam agni provi di.

4. Clara, vana et mundana
Doctrina hujus pereunt,
In quo viro modo miro
Vexilla regis prodeunt.

5. Nutu Christi genuisti
Fulgentem prolem moribus,
De quo dono vere bono
Exsultet coelum laudibus.

6. Fugat mortem, pellit fortem.
Panemque habent filiae,
Turba pascit, sed haec facit
Summae Deus clementiae.

7. Sibi agnus, leo magnus
Respondit vera hostia,
Per quam dantur, quae sperantur,
Beata nobis gaudia.

8. Deus pater, Jesus frater
Nostros gubernet exitus,
In hoc festo Clarae gesto
Veni, creator spiritus.

Brev. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Vatican. 4753. A. — Brev. ms. Minorum de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. B. — 2, 3 que refulget A. — 3, 1 clara rexit Clara A. — 3, 2 electo invidi A. — 4, 3 In quo miro A. — 6, 1 Fugans B. — 6, 2 filii A. — 7, 1 Tibi agnus B. — 7, 2 Responset A.

180. De sancto Clemente.

1. Voce digna personemus
Clementis insignia,
Tanto patri jubilemus
Mente fraude nescia,
Ut cum ipso respiremus
In coelesti curia.

2. Ternus papa piscatorem
Moribus insequitur,
Horum praetendens errorem
Gentiles alloquitur
Et Hebraeos legis florem
Christicolas pascitur.

3. In Clementem excitatur
Per cives contentio,
Et baptisma sacrum datur
Theodoro, Sisinnio,
In insulam deportatur
Caesaris imperio.

4. Ubi plures unda lavit
Pulsos in exsilium
Et in Christo confirmavit
Phoeben et Cornelium,
Agnus pede conculcavit
Fluminis indicium.

5. Ancra collo alligata
Subter undas gemuit,
Exspiravit mente rata
Ad Deum, quem coluit,
Plebs fidelis fit orbata
Tanto patre, doluit.

6. Huic larem praeparavit
Angelicis manibus
Subtus fretum, quem ornavit,
Marmoreis saxibus,
In quo corpus collocavit,
Hoc notum fit omnibus.

7. Per septenum retrocedit
Mare miliarium
Et sepulchrum plebs, quae credit,
Poscens beneficium
Videt, palpat, nullum laedit,
Matri reddit filium.

8. Genitorem collaudemus,
Ejus unigenitum
Puro corde rogitemus
Flamenque paraclitum,
Ut in coelis habitemus
Clementis per meritum.

Brev. ms. Sedunense anni 1459. Cod. Valerian. s. n. — 2, 6 Christicolas vestitur Hs. — 3, 4 Theodoro dreisilbig wie Theudoro. — Vor Str. 5 Divisio.

181. De sancta Clotilde.

Ad Vesperas.

1. Gaude, mater ecclesia,
Clotildis ad solemnia,
Pro qua congaudent angeli,
Laetentur omnes populi.

2. Pulchra, prudens, egregia
Terreni regis filia,
Regis uxor et socia
Fit ex divina gratia.

3. Infidelem Chodovaeum
Coetumque fortem militum
Jugo Christi supposuit,
Quod pia prece meruit.

4. O quam regni primordia
Rex informatur latria,
Creduntque de militia
Francorum tria milia.

5. Summo regi sit gloria,
Qui nutu regit omnia
Solus ante principium
Et nunc et in perpetuum.

Cod. Parisin. 917. saec. 15. — Mel.: Mysterium ecclesiae.

182. De sancta Clotilde.

Ad Laudes.

1. Rex regum, Christe, cuncta qui gubernas,
Te deprecamur festa recolentes
Sanctae Clotildis, gratiae coelestis
Munera dona.

2. Haec quondam regis filia terreni
Regi fidelis infideli data,
Quem supplex Christo meruit renasci
Precibus almis.

3. Mira reginam praedicant insignem:
Francorum fides, unctio de coelis,
Vinum de fonte, redolens cadaver,
Gloriae testis.

4. Nunc, pia mater, quaesumus, memento
Proprii gregis, quos pane terreno
Nutris, hos sancto refice precatu
Veniam poscens.

5. Sit summo regis decus et potestas,
Qui suos facit reges in excelsis,
Praepotens solus, verus et beatus,
Rex in aeternum.

Cod. Parisien. 917. saec. 15. — Mel.: Iste confessor.

183. De sancto Columba.

Ad Vesperas.

1. Concinat nostra concio
Laudes Columbae debitas,
Ad quem sacra devotio
Preces effudit meritas.

2. Qui regali prosapia
Ortus est in Hibernia
Et tenera infantia
Adspirat ad coelestia.

3. Nam imitatus Abraham
Coram relinquens patriam,
Saecli pompam despiciens,
Nil praeter Deum diligens.

4. Christi secutus monita,
Per quem fecit miracula,
Jussit aquam contrahere
Vini naturam propere.

5. Hic dum esset puerulus
Coelesti dono praeditus,
Vitam defunctis reddidit,
Quo mortis jura repulit.

6. Idem de petra solvere
Fecit aquam mirifice,
Ut mundaret a crimine,
Quem lavit in baptismate.

7. Sanctae crucis signaculo
Salutem donans populo
Morbos fugavit languidis
Vitamque dedit mortuis.

8. Caecis lumen aperuit,
Claudis gressum restituit,
Surdis auditum praebuit,
Mutis loquelam tribuit.

9. Hujus nos patrociniis
Sublevemur et meritis
Ad coelorum palatia,
Quo perfruamur gloria.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509. — 4, 1 Ipsi secutus monita mit falscher Initiale.

184. De sancto Columba.

Ad Nocturnum.

1. Festum Columbae celebre
Lacti nocturno tempore
Recolamus magnopere
Cum votum modulamine.

2. Qui natus stirpe regia
Virgo fuit infantia,
Mundi despexit gaudia
Sola gliscens coelestia.

3. Qui signa magna fecerat,
Omnes morbos curaverat
Et ventura praedixerat,
Vitam defunctis dederat.

4. Hostes, bella sedaverat,
Coeli cives adspexerat,
Bona, verbis quae dixerat,
In se factis compleverat.

5. Insulanis hic praeerat,
Septem annis rex fuerat,
Utraque jura dederat,
Rex et doctor hic steterat.

6. Monachorum sanctissime,
Pater Columba, suscipe
Preces nostras, nos protege
Et viam pacis dirige.

7. Praesta, pater piissime.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509.

185. De sancto Columba.

Ad Laudes.

1. Aurora rutilat lucis praenuntia,
Lactos nos excitat a somnolentia,
Volentes celebre festum recolere
Columbae venerabilis.

2. Qui fuit humilis, mitis, affabilis,
Vultu vir hilaris, vir venerabilis,
Ortu vir nobilis, vir statu stabilis,
Corpore castus et mente.

3. Columbae merita et signa singula,
Facta prophetica, clara miracula
Vel dictis dicere vel scriptis scribere
Nemo novit totaliter.

4. Relinquens patriam, caram Hiberniam,
Per Christi gratiam venit Britanniam,
Per quem idonea vitae primordia
Rex gentis sumpsit Britannae.

5. O pater patriae, pastor egregie,
Columba, tribue nobis spem veniae,
De labe criminum nostrorum omnium
Nos munda, sancte Columba.

6. Qui nobis tribuit peccati veniam,
Reatum diluat et donet patriam,
Nos tuos famulos, omnes catholicos
Commenda regi gloriae.

7. Sit laus perpetua, sit semper gloria
Patri et filio, sancto paraclito,
Simplici Domino, qui regit omnia
Per cuncta semper saecula.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509. — 2, 4 lies: Mente castus et corpore? — 4, 4 gentis scripsit Britanniae.

186. De sancto Columbano.

Ad Vesp. et Noct.

1. Auctori mirabilium
Cantemus novum canticum
Sublata cujus gratia
Nostra frustantur merita.

2. Quibus ergo miraculis
Enituit in populis
Columbanus sanctissimus,
Dicamus in sequentibus.

3. Hunc paritura filium
Vidit mater per somnium
De sinu solem surgere
Et terris lucem fundere.

4. Hic factus alter Moyses
Traxit de petra latices,
In colligendis messibus
Suspendit imbrem nubibus.

5. Corvus Noe despiciens,
Eliae quamvis serviens,
Chirothecas, quas abstulit
Furtim, patenter attulit.

6. Pro bove, quem necaverat,
Ursus onus subierat,
Bovis implens officium
Jussu patris ut proprium.

7. De trunco lapsus cuneus
Os frontis fregit protinus,
Quod sanctus Dei famulus
Sputo sanavit citius.

8. Mundavit leprae maculam,
Daemonum fugans copulam
Febricitantem feminam
Sanat per Dei gratiam.

9. Patrata cujus gratia
Sunt tanta mirabilia,
Nos et hunc locum protege,
Rex in aeternum Domine.

Brev. ms. Bobbiense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Taurinen. F II 10. add. saec. 12. A. — Offic. ms. Bobbiensia saec. 15. Cod. Taurinen. F II 22. B. — Brev. ms. Montis S. Eugenii saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Senen. F VIII 17. C. — Messingham, Florilegium Insulae Sanctorum p. 413. D. — „Duo sequentes hymni reperti sunt in libro officiorum sancti Columbani et successorum ejus Attalae et Bertulphi.“ D. — 1, 1 Actori BC. — 3, 3 De sinu lucem B. — 3, 4 Et terris lumen C. — 4, 4 imbrem ruribus C. — 5, 1 Corvus hoc despiciens B. — 5, 2 Quamvis Eliae B. — 7, 1 lasus cuneus A. — 8, 2 fugant A.

187. De sancto Columbano.

Ad Laudes.

1. Dum messem frater meteret
Et digitum incideret,
Beati patri precibus
Caesus sanatur digitus.

2. Paucis cervissae potibus
Et ex duobus panibus
Omnino fit largissimus
Potus cibusque fratribus.

3. Christi favente gratia
Implentur pomptuaria,
Ne panis a penuria
Fratrum periret copia.

4. Vas insufflatum solvitur
Et per frusta dividitur,
Quo facto admirabili
Sunt stupefacti barbari.

5. Cantemus ergo pariter,
Quod David cantat jugiter:
Mirabilis est Dominus
In suis sanctis omnibus.

6. Patrata cujus gratia
Sunt tanta mirabilia,
Nos et hunc locum protege,
Rex in aeternum, Domine.

Brev. ms. Bobbiense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Taurinen. F II 10. add. saec. 12. A. — Offic. ms. Bobbiensia saec. 15. Cod. Taurinen. F II 22. B. — Brev. ms. Montis S. Eugenii saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Senen. F VIII 17. C. — Messingham, Florilegium l. c. D. — 2, 3 Omnibus fit D. — 3, 1 spirante gratia C. — 5, 2 cantat David C.

188. De sancto Columbano.

1. Nostris solemnis saeculis
Refulget dies inclita,
Qua sacer coelos Columba
Ascendit ferens trophaea.

2. Sed priusquam eum mater
In auras lucis ederet,
E sinu solem prospicit
Terris lumen diffundere.

3. Qui post altus Hibernia,
Sacro edoctus dogmate,
Gallica arva adiens
Plebi salutem tribuit.

4. Aegri sanantur ocius,
Cautes producit latices,
Piscis in usum praebetur,
Cedit imber a segete.

5. Prolemque capit sterilis,
Ales rapinam reddidit,
Farre horeum augetur,
Abscissa caro sospes est.

6. Tactus videt nec cernitur,
Sentit damna ergastulum,
Fugit pestis ab homine,
Quam daemon saevus miserat,

7. Liger scapham retinet,
Ablata furto prodeunt,
Caecusque lumen recipit,
Praebendo cibus augetur.

8. In escas alites veniunt,
Ferae jussis obediunt,
Fides patrare conscia
Novit, quae poscit, omnia.

9. Gloria tibi, trinitas,
Aequalis una deitas
Ante omnia saecula
Et nunc et in perpetuum.

Hymn. ms. Bobbiensis saec. 10. Cod. Taurinen. G VII 18. A. — Hymn. ms. Bobbiensis saec. 11. Cod. Taurinen. G V 38. B. — Passion. ms. Bobbiense saec. 11. Cod. Taurinen. F IV 12. C. — Brev. ms. Bobbiense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Taurinen. F II 10. D. — Pass. ms. saec. 10. Cod. Bruxellen. 8518—20. E. — Messingham l. c. 414. F.

1, 2 Refulgit A. — 1, 4 Ascendens A. — 2, 4 lucem F. — 4, 2 Cautus producunt F. — 4, 3 usu ABC. — 4, 4 Caedit F. — 5, 1 que fehlt E. — 6, 3 Farris horreo BDEF. — 7, 1 Ligeris scapham E; sprich escapham. — 8, 1 ales E.

„Hymnum in missa sancti Columbani." B; F bemerkt: „Istud etiam in Bobbiensi libro Jonae habetur cum hac inscriptione: Hymnum subdidi, quem in ejus transitu praecipiatis canere, quia primus quem vobis nuper transmisi ejus virtutes non continet [so in rubro Taurinen. F IV 12.]. Ex hoc titulo colligunt aliqui Jonam hujus hymni auctorem esse." — Dies ist in der That, das Mindeste zu sagen, höchst wahrscheinlich.

189. De sancto Desiderio.

1. Deus, tuorum militum
Sors et corona praesulum,
Per tui sancti meritum
Te nobis da propitium.

2. Celebrantes victoriam
Beati Desiderii
Post tantam fac miseriam
Summi consortes gaudii.

3. Hic sanctus Desiderius
Pro Christo fuso sanguine
Factus sanctorum socius
Lumen videt in lumine.

4. O quam devotus exstitit
Hic sanctus in martyrio,
Qui caput suum praestitit
In Dei sacrificio.

5. Pro patris tam eximii
Solemni natalitio
Devotas ejus filii
Dent laudes Dei filio.

6. Te rogamus suppliciter,
Pater, succurre filiis,
Ne damnemur finaliter
Pro perpetratis vitiis.

7. Patri, nato, spiritui
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos sanctorum coetui
Sua conjungat gratia.

Collect. hymn. ms. saec. 18. Cod. Parisien. 1094. — Dafs der Hymnus trotz der jungen Quelle ein alter ist, beweist der Reim, der auf das 13. oder 14. Jahrhundert weist. Dasselbe gilt von den zwei folgenden Hymnen.

190. De sancto Desiderio.

1. Recolamus passionem
Martyris egregii
Ac certamen et agonem
Sancti Desiderii,
Ut ad Christi visionem
Simus ejus socii.

2. Dum per gentem Vandalorum
Vastaretur Gallia,
Nutu regis Angelorum
Sua fert constantia
Stragem ipsam barbarorum
Lingonis, qua aderat.

3. Muros frangunt, scalis scandunt
Intrant urbem Vandali,
Praesul regem deprecatur
Pro salute populi,
Quem rex torve contemplatur,
Sed nec fovet praesulem.

4. Non movetur rex eorum
Super plebe misera,
Sed in nece diversorum
Sua complet scelera,
Necant matres parvulorum
Et ipsos ad ubera.

5. Scelerato coram rege
Stante Desiderio
Pro commisso sibi grege
Caput offert gladio
Sicque boni patris lege
Triumphat martyrio.

6. Victor ejus sceleratus
Damnatus amentia
Clamat velut insensatus
Currendo per moenia,
Ad portam excerebratus
Via jacet media.

7. Gloriose Desideri,
Tuis posce precibus
Regem regum, misereri
Sic tuis supplicibus,
Ut supernis inmisceri
Mereamur civibus.

8. Sit laus summa trinitati,
Honor, virtus, gloria,
Quae det nobis per beati
Martyris suffragia,
Ut cum ipso laureati
Regnemus in patria.

Collect. hymn. ms. saec. 18. Cod. Parisien. 1094.

191. De sancto Desiderio.

1. Christe, redemptor omnium,
Vita, virtus credentium,
Nos tui sancti precibus
In mundi rege fluctibus.

2. Pravis frequenter motibus
Nos carnis pungunt stimuli,
Et diversis insultibus
Nos vexant membra zabuli.

3. Contra tot ictus hostium
Athletam constituimus
Beatum Desiderium,
Quem nobis fidum credimus.

4. Poenas atroces pertulit
Ob Christi testimonium,
Ipse se totum obtulit,
Caput, finem et medium.

5. O pastorem egregium,
Qui mortem non pertimuit,
Sed pro tutela omnium
Se gladiis opposuit.

6. Nos pietatis oculo,
Pater sancte, considera
Et ab omni periculo
Tuo precatu libera.

7. Trinitati sit gloria,
Decus et jubilatio,
Quae trahat nos ad gaudia
Cum sancto Desiderio.

Collect. ms. hymn. saec. 18. Cod. Parisien. 1094.

192. De sancto Dionysio.

1. Coeli cives, adplaudite
Mundi jucundo lumini,
Quo inlustratur coelitus
Hujus diei gratia.

2. Praecelsa fides martyris
Sacrique vita antistitis,
Dionysii nobilis,
Hodie palmam suscepit.

3. Areopago Athenae
Regis sumpsit diadema
Coelestis gemmam fulgidam
Dionysium sophistam.

4. Paulo docente speculum
Habet fides fidelium
Et spiculum gentilitas,
Quem ante murum noverat.

5. Miro clarescens dogmate
Inluminavit Graeciam
Et inclitus hinc pontifex
Urbem Romanam adiit.

6. Clemente, Romae praesule,
Jubente venit Galliam,
Cui jubar solis splendidi
Inluxit signis, famine.

7. Tandem repulso daemone
Constructo sacro opere
Poenis adfectus maximis
Caesa cervice coelum petit.

8. Ave, pater, scandens polum,
Ave, pie visens solum,
Annua festi munera
Tua sacra praesentia.

9. Offer, sacerdos optime,
Gemitus nostros et preces,
Firma fidem, martyr Dei,
Moresque nostros corrige.

10. Ope guberna fragiles
In mundi hujus pelago
Atque exutos corpore
Pie, benignus, suscipe.

11. Quo sine fine gloriam
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
Tecum canamus perpetim.

Cod. Parisin. (ol. Sandionysian.) 2832 saec. 9. A. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14843. saec. 9. B. — Cod. Bernen. 455. saec. 10. C. — Brev. ms. Schaftlariense saec. 14. Clm. Monacen. 17030. D. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1521. E.

Diesen merkwürdigen Hymnus hat schon Daniel I auf einer nicht paginierten Seite aus Halloix nachgetragen. Bei dem Alter des Liedes scheint seine Wiederholung aus den Quellen gerechtfertigt. — 1, 2 Mundo jucundo lumine D. — 1, 3 inlustratus AE. — 1, 4 Diei hujus C. — 3, 1 Areopagus ecclesia. Daniel. — 3, 2 Regi sumpsit B; gemma fulgida D; grammam fulgidam A. — 3, 4 Dionysius sophista D. Diese Strophe ist nach Daniels Lesart und Interpunktion schlechthin unfaßlich. Zu construieren ist: Regis coelestis diadema sumpsit gemmam fulgidam, Dionysium [scl.] sophistam, [ex] Areopago Athenae. — 5, 1 Miror clarescens B. — 5, 2 Inluminavit gratia B — 5, 3 hunc B; hic D. — 5, 4 Orbem Romam adiit B. — 6, 3 splendide B; splendidum D. — 7, 2 Constructus B. — 7, 3 afflictus D. — 7, 4 hat eine Silbe zu viel: coelum petiit B; Caesa cervice capitis D; Daniel liest coelum adit, allein der Hymnus kennt sonst keine Elision. Vgl. 1, 2;

1, 3; 2, 2; 3, 1; 4, 4 u. s. w. — 8, 3 Annua festa B; Annui festi D. — 9, 3 fide B. — 10, 1 Christe guberna D. — 10, 4 benigne. D. — 11, 1 gloria C. — 11, 4 In sempiterna saecula. D.

Man hat als Verfasser des Liedes Eugen von Toledo genannt, und noch Chevaliers Repertorium Hymnologicum bezeichnet diesen ohne Weiteres als Autor. In der That hat A die Worte: „Hymnus Eugenii episcopi de s. Dionysio.“ Man mag sich mit dieser Angabe abfinden, wie immer man will, so viel ist sicher, dafs an Eugen III. von Toledo als Verfasser dieses Liedes nur der denken kann, der den Weg vom Denken zum Nachdenken noch nicht gefunden. Wahrscheinlich stammt das Lied aus der Schmiede von St. Denis und vielleicht hätte Hilduin den Verfasser nennen können, wenn dies ihm gepafst hätte.

193. De sancto Dionysio.

Ad Vesperas.

1. Ut beatorum validos agones
Martyrum dignis modulemur hymnis,
Lividos nostri, Deus alme, cordis
Rumpe tumores.

2. Dum sui mortem Domini pavescens
Nocte sol taetra radios recondit,
Re stupet mira sapientis haerens
Mens Dionysii.

3. Nox, ait, caecans oculos repente
Signat e coelo jubar adfuturum,
Quod suis ortas radiis refellet
Orbe tenebras.

4. Dogma laturus fidei, magister
Gentium, Paulus populos per omnes
Atticos cultus dubios revelat
Famine divo.

5. Audiens Dionysius superni
Verba praeconis simulacra divum
Spernit et Christi famulis precatur
Connumerari.

6. Caecus obscuris oculis ab ortu
Missus a Paulo tenebras fugante
Intuens curam medici sereno
Praedicat ore.

7. Hinc Deo laudes jubilusque clarus
Imperatori resonent supremo,
Qui sua tantos numerat senatu
Morte redemptos.

Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504.

194. De sancto Dionysio.

Ad Nocturnum.

1. Post salutaris lavacri receptam
Gratiam Dionysius cohaerens
Sedulus Paulo solida cibari
Quaeritat esca.

2. Optime doctus patriae dicatur
Pontifex urbis, monitus sacratos
Audiunt cives, populi Jesum pars
Maxima credit.

3. Commori primis fidei ministris
Ardet ac Romam properantes aedem
Ambo coelestem capiunt Neronis
Vindicis ira.

4. Spiritu Clemens meliore tactus
Gallias, inquit, Machari, subito,
Demonum cultu vario refertae
Consule genti.

5. Pergit accinctus fidei mucrone,
Praedicat Christum vacuus timoris,
Mitigat signis animos feroces
Parisiorum.

6. In virum saevit furiosus ardor
Flaminum turbae, gladios inermis
Arcet et miti capiunt rogati
Dona salutis.

7. Hinc Deo laudes jubilusque clarus
Imperatori resonent supremo,
Qui sua tantos numerat senatu
Morte redemptos.

Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. — 3, 2 properante sedem.

195. De sancto Dionysio.

Ad Laudes.

1. Christianorum numerositati
Invidens hostis fremit et dolosi,
Imperatoris refricat tumorem
Domitiani.

2. Ille praefectum feritate plenum
Ad senem mittit populum docentem,
Quem suis sisti jubet ad tribunal
Verbere caesum.

3. Sacra culturae renuit profanae,
Eruens flammis rabidos ferarum
Impetus sedat, cruce pendet acri
Vulnere fixus.

4. Carceris septo nimius refulget
Splendor, en, Christus facie serena
Porrigens panem famulo sacratum
Dulcius inquit:

5. Care, complendum tibi sume pignus,
Est patris regno tibi magna merces,
Pro quibus poscis, tribuetur illis
Munus habendum.

6. Principis jussu ferienda praebent
Martyres ferro sua colla laeti,
Spiritus sistunt super astra, terrae
Corpora reddunt.

7. Pendulis truncum manibus cadaver
Vectitat caesum caput, angelorum
Concinit coetus, populi caterva
Concomitatur.

8. Hinc Deo laudes jubilusque clarus
Imperatori resonent supremo,
Qui sua tantos numerat senatu
Morte redemptos.

Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504.

196. De sancto Edmundo.

Ad Vesperas.

1. Edmundus, martyr inclitus,
Anglorum rex sanctissimus,
Hac luce palmam nobilem
Triumphans coelo intulit.

2. Tulit jubar hoc splendidum
Opima tellus Anglica,
Quo splendet omne saeculum
Et coelis crescit gaudium.

3. Tuorum murmur pauperum
Exaudiat, fac, meritum
Et ad coelestis perferat
Regis pius causidicus.

4. Favorem Christi coelitus
Nostris piaclis impetret,
Urbs ut gravata sentiat
Donatum indulgentiae.

5. Precantum votis annuat
Pater Deus cum filio
Simul cum sancto spiritu
Per saeculorum saecula.

Hymn. ms. Anglo-Saxonic. saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Londinen. Vesp. D XII. — 3, 1 Quorum murmur Hs. — 4, 3 Orbs Hs.; lies vielleicht Plebs? — Vgl. Stephenson 148.

197. De sancto Edmundo.

Ad Nocturnum.

1. Laurea regni redimitus olim,
Rex Eadmundus, decus orbis hujus,
Nunc suis adsit famulis, precamur,
Supplici voto.

2. Hac die coeli fruitur secretis,
Qua triumphalem meruit coronam,
Nactus ex Dani gladiis tyranni
Sanguine palmam.

3. Cujus exsectum caput ore prono
Trux lupus fovet famulatus illi,
Donec ad notum rediit cadaver
Vulneris expers.

4. Unde, rex martyr, tibi magnus honos,
Integer membris maculaeque purus,
Fungeris digno meritis honore
Talibus hymnis.

5. Sit honor patri jugis et perennis,
Qui tuos signis decorat triumphos,
Cujus obtentu pius ipse parcat
Trinus et unus.

Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. — 2, 3 gladius Hs. — 4, 1 magnus haeres Hs. — 4, 2 puris Hs. — Vgl. Stephenson 149.

198. De sancto Edmundo.

Ad Laudes.

1. Laus et corona militum,
Jesu, tibi certantium,
Hujus triumpho subditis
Intende regis martyris.

2. Hac rex Eadmundus die,
Raptus cruento commate,
Sese flagrorum stigmate
Coelo receptus exuit.

3. Devinctus acri stipite
Loris cruentis undique
Dani tribunal exsecrat
Ac numen ejus improbat.

4. Qui terebrati spiculis
Regis cruorem combibit,
Quem pro suis fidelibus
Velle mori conjicimus.

5. Nos hac Eadmundus die
Rex martyr aptet gratiae,
Quo perfruamur coelitum
Bonis per omne saeculum.

Hymn. Anglo-Saxonicus saec. 10/11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. — 2, 2 Raptos cruentos cammate. — 2, 3 stigmati. — 2, 4 Coelo reptus. — 3, 1 Devictus. — 4, 1 terebratis. — 5, 3 Qua. Vgl. Stephenson 149 u. f.

199. De sancto Eligio.

Ad Vesperas.

1. Nube mentis religata
Nox haec noctem nesciat,
Sacrae nocti reformata
Vita vocem condiat,
Ut utraque laus ornata
Laudato conveniat.

2. Sanctus Dei dum sculpebat
Regis utensilia,
Textus sacri praeferebat
Oculis eloquia,
Quibus rapta mens ardebat
Amplecti coelestia.

3. Carnem laetus constricabat
Cilicino sacculo,
Panc tantum sustentabat
Ac aceti poculo,
Sic de carne triumphabat
Carnis in ergastulo.

4. Idem multis restauravit
Locis monasteria
Et abunde procuravit
Cunctis necessaria,
Quos in sanctae solidavit
Regulae concordia.

5. Sic relucens puritate
Tam praeclari speculi,
Praesul prius dignitate
Virtutis quam tituli,
Occurrebat sanctitate
Mox futuro praesuli.

6. Hujus ergo celebretur
Devote solemnitas
Et sic ei praesentetur
Nostrae laudis parvitas,
Ut, quod minus laus meretur,
Suppleat benignitas.

7. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Carnotense (?) saec. 13. in. Cod. Vatican. 4756. — Mel. ist die des Pange lingua.

200. De sancto Eligio.

Ad Nocturnum.

1. Divinae laudi sedula
Praesentis vox collegii
Fidem, vitam, miracula
Sancti pangat Eligii.

2. Verbo, virtute, sanguine
Lemovicis enituit,
Latens sub fabri nomine
Late lucerna claruit.

3. Ut advenit Lutetiam,
Regis ibi Lotharii
Plenam favor in gratiam
Provexit aurificii.

4. Artis in exercitio
Fabrum contemplans omnium,
Quaestus fabrili pretio
Famem pavit egentium.

5. Pius, justus et sobrius
Totum se Deo contulit,
Cum verbi Dei nuntius
Dormienti sic intulit:

6. Eligi, preces superat
Miserentis largitio,
A timore te liberat
Poenae culpae remissio.

7. Mox exitus recoluit
Ex diffusa fragrantia,
Quod votum spes obtinuit
Et fructum poenitentia.

8. Nos ergo sic aedificet
Exemplis poenitentiae,
Ut spem nostram certificet
Fructus aeternae gloriae.

Brev. ms. Carnotense (?) saec. 13. Cod. Vatican. 4746. — 3, 1 Et advenit Lutheriam Hs. — 7, 1 fehlt die Initiale.

201. De sancto Eligio.

Ad Laudes.

1. Lucis ortum matutinae
Laus illustret, quam divinae
Vis informet gratiae,
Lux in corde, laus in ore
Dilatentur, ut actore
Respiremus veniae.

2. Pari voto requisitus,
Immo raptus et invitus
Vir sanctus Noviomo
In pastorem declaratur,
Sic collega sublimatur
Audoenus Rotomo.

3. Praeter onus dignitatis
Omni cura pietatis
Adimplevit opera,
Hos communis eligebat,
Quorum scrustas abradebat
Et tergebat ulcera.

4. Pseudosectas exstirpavit,
Simoniam suffocavit
In Gallorum finibus,
Christianos persecuti
Christi fidem sunt secuti
Verbis et virtutibus.

5. Surdi, clausi vel leprosi
Fistulave jam corrosi
Tortique daemoniis
Vota plene consecuti
Grates ejus dant virtuti
De tot beneficiis.

6. Et nos supplicemus ei,
Func suo nostrae spei
Religetur anchora,
Prece cujus applicemus,
Ab hoc mari properemus
Ad aeterna litora.

Brev. ms. Carnotense (?) saec. 13. Cod. Vatican. 4756 — 2, 6 Rodomo. — 6, 4 verschrieben: petenus.

202. De sancto Elisaeo.

Ad Laudes.

1. Umbra nocturna defluat,
Aurorae lux iradiat,
Beata coeli claritas
Prophetam sanctam praemiat.

2. Qui testamenti veteris
Cultor erat Judaicus,
Nunc spiritu, non literis
Fit comprehensor coelicus.

3. Carnis exutus tegmine
Defensor est mortalium,
Dum vivens immortaliter
Dat vitae patrocinium.

4. Jesu, tuorum gloria,
Perennis autor luminis,
Per Elisaei merita
Parce servorum debitis.

5. Ut grex Carmeli positus
In hujus vallis eremo
Te pastorem inveniat
Ad vitam sine termino.

6. Patri cum verbo pariter
Sit honor, virtus, gloria,
Laus sit sancto spiritui
Per sempiterna saecula.

Brev. ms. Carmelit. Hibern. anni 1489. Cod. Coll. ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 10.

203. De sancto Eutropio.

1. Aeternum regem gloriae
Collaudet plebs fidelium,
Qui corona laetitiae
Coronavit Eutropium.

2. Hic Babylone genitus
Et Admirandi filius
Christo se jungit penitus,
Patrem linquit puer pius.

3. Romam venit, Petrum quaerit,
A quo praesul efficitur,
Per Neronem Petrus perit,
Post quem Clemens praeficitur.

4. Pastor missus a Clemente
Civitate Xantonica,
Christo semper haeret mente,
Nil quaerens praeter coelica.

5. Lapidatur, flagellatur,
Ense caesus et ascia,
Verberatur et lucratur
Coelestis regni gaudia.

6. Sic certavit fideliter
Mundana spernens praemia,
Patri, matri praebens iter,
Per quod regnant in gloria.

7. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M. 21. — 4, 3 fehlen zwei Silben; haeret ergänzt.

204. De ss. Fabiano et Sebastiano.

1. In sanctorum solemniis
Laudes solvamus Domino,
Ut ipsorum suffragio
Tandem captemus praemia.

2. O praesul invictissime
Fabianeque inclite,
Ut mereamur veniam,
Audi rogantes servulos.

3. Martyr Dei egregie,
Intende melos gloriae,
Sebastiane belliger,
Immensi regis signifer.

4. Devotos tibi famulos
Peccati sorde languidos
Sana, virtutum artifex
Verbique sator multiplex.

5. Linguae torpentis vinculum
Absolve fandi dans donum,
Ut quondam mutae feminae
Christi ditatus munere.

6. Per sagittarum jacula
Rogamus, patris vernula,
Per rivos tui sanguinis
Iram remove judicis.

7. Ut tecum laudes perpetim
Christo canamus affatim
Tuis erepti precibus
A poenis infernalibus.

8. Laus sit parenti Domino,
Laudes canamus unico,
Laudes amborum flamini
Per tempora laudabili.

Diurn. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Parisien. 10530. — Vgl. Annal. XIV a. Nr. 36.

205. De sancto Felice.

Ad Vesperas.

1. Gratuletur haec concio
Devoto nunc obsequio,
In Felicis memoria
Laudes solvat ecclesia.

2. Contemnens Felix saeculum
Factus est nobis speculum
Justitiae, sua vita
Monstratur nobis semita.

3. Hic pauper in nudo fuit,
Solam tunicam habuit,
Secunda si forte fuit,
Hanc pauperi distribuit.

4. In habitu procedere
Felix gaudebat paupere
Caletque fervore Dei,
Quem noscit cultus fidei.

5. Felix, vita laudabilis,
In morte fit mirabilis,
Miris fulgens virtutibus
Coeli gaudet cum civibus.

6. Salva nos, Christe, precibus
Hujus, cujus cineribus
Daemonum fit expulsio
Et salvandi promissio.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884.

206. De ss. Felice, Fortunato et Achilleo.

Ad Vesperas.

1. Fidelium devotio
Sonet hymnum cum laudibus
Cruciatus martyribus
Claro paschali gaudio.

2. Qui truncantur crudeliter
Praecepto ducis fervidi,
Hinc traducti feliciter
Ad coenam agni providi.

3. Verus largitor veniae,
Donum supernae gratiae
Dona nobis per meritum,
Deus, tuorum militum.

4. Sit tibi laus et gloria,
Pro quo caeduntur famuli
Et passi sunt martyria,
Jesu, salvator saeculi.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

207. De ss. Felice, Fortunato et Achilleo.

Ad Laudes.

1. Splendor paternae gloriae,
Per martyrum suffragia
Confer in coeli requie
Beata nobis gaudia.

2. Viri Dei sanctissimi,
Quorum firmus est animus,
Sunt in poenis fortissimi
Dei fide, qua vivimus.

3. Impetrate nos vivere,
Qui regnatis in aethera,
Ut possimus attingere
Aeterna Christi munera.

4. Sit tibi laus et gloria,
Pro quo caeduntur famuli,
Et passi sunt martyria,
Jesu, salvator saeculi.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

208. De ss. Ferreolo et Ferrutio.

Ad Vesperas.

1. Psallat chorus fidelium
Festum resolvens annuum,
Quo martyres in curia
Locati sunt siderea.

2. Sacerdos hic Ferreolus,
Irenaei discipulus,
Sacris refulsit moribus
Dignisque actionibus.

3. In sacro namque dogmate
Resplenduit mirifice
Cum levita Ferrutio,
Athleta Christi maximo.

4. Quorum nos patrocinia
Ad coeli ducant gaudia,
Ut regnemus cum angelis
In sacris tabernaculis.

5. Protegatur Chrysopolis
Horum sanctis suffragiis,
Per quos agnovit Dominum
Suae salutis pretium.

6. Cui laus, virtus, imperium
Per omne manens saeculum,
Qui regnat trinus unice
Cuncta regens juctissime.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 13. Cod. Frauenfelden. Y 24 A. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 972. B. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Bisuntin. 63. C. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. D. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. ex. Cod. Bisuntin. 67. E. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. F. — Brev. Bisuntinum imp. s. l. et. a. G.

209. De sancto Ferreolo.

Ad Vesperas.

1. O regis bonitas, o sapientia,
Cujus militibus sunt ea praemia,
Quae mens exprimere non valet anxia,
Sic vincit patientia.

2. In coelis redolent serta micantia,
Distinguunt varios munera propria,
Martyr sume rosas, accipe lilia,
Quae, virgo, tua gloria.

3. Exsul fervor, hiems non vacat imbribus,
Scit, qui pascit eos, et dator et cibus,
A sanctis lacrimas tergere vultibus,
Ens solus satis omnibus.

4. Quantis suppliciis quotve doloribus
Palmam martyrii sumpsit ab hostibus,
Victor Ferreolus narrat ovantibus,
Commutans mala dulcibus.

5. Pandit militiae signa refulgida,
Tam carnis tumidae verbera livida
Quam trunci capitis vulnera rescida,
Clamant agmina florida.

6. Te, summa deitas, unica, vivida,
Collaudat pariter concio candida,
Donet militibus rex data splendida,
Dilectus patris Idida.

Brev. Sosmense imp. Parisiis 1548.

210. De sancto Ferreolo.

Ad Nocturnum.

1. Nunc voces, socii, pangite festas,
Rerum Christe potens, summa potestas,
O quam magnifice munera praestas
His, quos vera tibi junxit honestas.

2. Tanti Ferreolus regis amori
Devinctus patrio cessit honori,
Nolens militiae parcere flori,
Sed curvare magis colla furori.

3. Mundum despiciens largus avorum,
Vestes, dona, genus sanguine clarum,
Coelum suspiciens plus sibi carum,
Gustavit calicem mortis amarum.

4. Quam sanctae calicis potus amatur,
Tempus vindemiae cum recolatur,
Martyr vindemians vindemiatur,
Mercedemque capit, ut capiatur.

5. Patri, quem metuunt aequora, venti,
Christo, cujus erit gloria genti,
Sancto spiritui corda replenti,
Trino laus et honor cunctipotenti.

Brev. Sosmense imp. Parisiis 1548.

211. De sancto Ferreolo.

Ad Laudes.

1. O quam praecipiti mersa profundo
Mens lictoris hebet dedita mundo,
Sanctum corde pio, corpore mundo
Morte perire facit plus verecundo.

2. Non contra gladios arma paravit,
Ferrum Ferreolus corde micavit,
Quo tectus faciem non galeavit
Ferratasque manus non trepidavit.

3. Dum mortem patitur, plus patientis
Mens audacter agit quam ferientis,
Virtus, martyr, erat ferrea mentis,
Per quam tela parum ferrea sentis.

4. Granati similis fractio mali
Mittit grana foras de penetrali,
Sic confracta caro fragmine tali
Virtuti dat iter spirituali.

5. Patri, quem metuunt aequora, venti,
Christo, cujus erit gloria genti,
Sancto spiritui corda replenti,
Trino laus et honor cunctipotenti.

Brev. Sosmense imp. Parisiis 1548.

212. De sancta Fide.

Ad Vesperas.

1. Adest dies laetitiae
Sanctaeque Fidis gaudium,
Quam vocavit rex gloriae
Ad summum coeli praemium.

2. Haec est virgo sanctissima
De numero prudentium,
Sancta Fides, laetissima
Inter choros laetantium.

3. Fulsit Fides martyrio,
Servans corpus virgineum
Salutis desiderio,
Regnum optans aethereum.

4. Virgo Fides egregia,
Ora pro nobis Dominum,
Ut det per tua merita
Coelorum plenum gaudium.

5. Gloria patri Domino,
Filio et paraclito,
Qui vitam sine termino
Det nobis coeli solio.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13/14. Cod. Casanaten. B VI 5 (1191). add. saec. 14.

213. De sancta Fide.

Ad Laudes.

1. Ad laudes hujus virginis
Cantemus omnes dulciter,
Ut ad fructum dulcedinis
Veniamus alacriter.

2. Clara voce decantemus
Sanctae Fidis victoriam,
Omnipotentem laudemus
Per fidei constantiam.

3. Nunc cantemus humiliter
Sanctae Fidis officium,
Ut gaudeamus jugiter
Inter choros laetantium.

4. Gaudeat praesens concio
De sancta Fide virgine,
Quae gaudet coeli solio
Splendens coelesti lumine.

5. Gloria patri Domino.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13/14. Cod. Casanaten. B VI 17 (1191). add. saec. 14.

214. De sancta Fide.

Ad Nocturnum.

1. In matutinis cantemus
Sanctae Fidis praeconia,
Filium Dei laudemus,
Qui det nobis coelestia.

2. Agennae gaude civitas
Agens Fidis memoriam,
Quam decoravit sanctitas
Propter suam victoriam.

3. Laudemus tantam virginem
Nec non ejus martyrium,
Ut ad beatitudinem
Veniamus coelestium.

4. Cantemus omnes hodie
Sanctae Fidis memoriam,
Quam vocavit rex gloriae
Ad paradisi gloriam.

5. Gloria patri Domino,
Filio et paraclito,
Qui vitam sine termino
Det nobis coeli solio.

Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13/14. Cod. Casanaten. B VI 17 (1191). add. saec. 14.

215. De sancta Fide.

Ad Vesperas.

1. Feri fides fida Fides
famosis fragoribus
Ferunt festi festa Fidis
feriis felicibus,
Ferveat falanx fidelis
festivis favoribus.

2. Fides est cantanda nobis
non illa, qua credimus,
Sed puella, Aquitanis
praelecta virginibus
Vita sive fide claris,
inserta martyribus.

3. Quae mundi, sexus, aetatis,
parentum delicias
Despexit, procorum preces,
delatorum insidias,
Curiae turbas [minaces]
et praefecti furias.

4. Virgas, fustes, sudes, uncos,
laminas, equuleum,
Ungulas, crates, catastas,
carceres, exsilium,
Laqueos, ruinas, fretum,
ignem, [aquam], gladium.

5. Pro quo nempe, pro te, Christe,
cui se paciscitur,
Quaeque cupit, optat, ambit,
suspirat, amplectitur,
Diligit, amat et ardet,
cui juncta jungitur.

6. Jam nunc de tali corona
intra sponsi thalamum
Decorata tueatur
se precantem populum
Et canentem sibi clerum
hoc epithalamium.

Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 384.

216. De sancto Finniano.

Ad Vesperas.

1. Adest, dies laetitiae,
Cleri gaudent cum jubilo,
Refulsit sol justitiae,
Qui prius erat sub nubilo.

2. Gratuletur Hibernia,
Freta doctore coelitus,
Quo cleri contubernia
Reformantur divinitus.

3. Erroris iter devium,
Quo sine fine curritur,
Per hujus magisterium
A nobis intercluditur.

4. Qui prius longe fuimus
A Christo Dei filio,
Nunc ei propinquavimus
Hujus almi auxilio.

5. Vergente mundi vespere
Sacer in saxo panditur,
Virtute Dei dexterae
De saxo comprehenditur.

6. Praesul Midensis inclitus,
Thomas de Leodegario
Virtute sancti spiritus
Hunc vexit annuario.

7. Per te, pater cum filio
Consolatorque spiritus,
Haec praesens Dei concio
Dono ditetur coelitus.

Brev. ms. Hibernicum saec. 13. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 215. A. — Colgan, Acta SS. Hiberniae p. 400 B. — 4, 3 ei fehlt B. — Str. 6 fehlt B.

217. De sancto Finniano.

Ad Nocturnum.

1. Rosa crevit de lilio
Vernanti rubens folio,
Speciosus prae filiis
Superno sedet solio

2. Sic hic flos in Hibernia
Odorem famae sparserat,
Ut ad se contubernia
Clericorum allexerat.

3. Hujus rosae de foliis
Apes sacratae suxerant
Mel, quod in territoriis
Suis abunde vexerant.

4. O quam praeclarum flosculum
Clara parit Talicia,
Ad cujus oris osculum
Morbi cedunt et vitia.

5. Christe, fove sub casulis
Nexos dolore vario,
Tuis nos junge rosulis
In coelesti rosario.

Brev. ms. Hibernicum saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 215. A. — Colgan, Acta SS. Hiberniae p. 400 B. — 2, 3 a se contubernia A. — 3, 4 Suis postea vexerant B. — 5, 1 sub caulis A. — 5, 2 Vexas dolore A, Vexatos dolore B.

218. De sancto Finniano.

Ad Laudes.

1. Colatur a fidelibus
Clonardensis ecclesia
Pietatis operibus
Impensis, elemosyna.

2. Nativus de Lagenia,
Qui sprevit nomen regium,
Hic sumpsit infra moenia
Legendi privilegium.

3. Trium virorum milium
Sorte fit doctor humilis,
Verbi his fudit fluvium
Ut fons emanans rivulis.

4. En hic rexit in literis
Viae vicinus regiae,
Hic se jungebat superis,
Hic transfertur egregie.

5. Felix pusilla civitas,
Quondam ditata moribus,
Nunc auri latet claritas
Thesauri sub arboribus.

6. Fragrans odor de tumulo
Cum mirorum frequentia
Probant in Christi famulo
Mentis summam clementiam.

7. Per te, pater cum filio
Consolatorque spiritus,
Haec praesens cleri concio
Dono ditetur coelitus.

Brev. ms. Hibernicum saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 215. A. — Colgan, Acta SS. Hiberniae p. 401. B. — 1, 4 elemosynis B. — 2, 2 Quo sprevit A. — 5, 3 aurei B. — 5, 4 sub laboribus B. — 6, 2 minorum frequentia B. — 6, 3 Probavit in Jesu famulo A. — 6, 4 summa clementia A.

219. De sancto Finniano.

In 2. Vesperis.

1. Finnianus lingua gnarus
Nostrae currat memoriae,
Quem instruxit et illuxit
Deus summae clementiae.

2. Tulis Mauri census auri
Reperitur sub cinere,
Finnianus lucet clarus
Jam lucis orto sidere.

3. Vi divina mire trina
Resuscitavit funera,
Hic dum vivit, acquisivit
Aeterna Christi munera.

4. Clemens iste, Jesu Christe,
Te collaudat a faucibus,
Coram throno de patrono
Exsultet coelum laudibus.

5. Finnianum tibi carum
Qui fecisti per spiritum,
Has cohortes fac consortes,
Deus, tuorum militum

6. Praesul digne, nunc benigne
Juva, qui sumus pavidi,
Nos te duce duc in luce
Ad coenam agni providi.

Brev. ms. Hibernicum saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 215. — 4, 2 a paucibus. — 5, 3 Hos.

220. De sancta Flavia.

Ad Matutinum.

1. Virginis sacratae cantica Flaviae
Psallamus modulis devote consonis,
Quae Christo principi placere maluit
Temnendo impia ducis affamina.

2. Haec a consulibus Romae majoribus
Clementis consulis sororis filia
Perpulchra nituit in orbe genita,
Praepollens jugiter stirpe praenobili.

3. Spernendo respuit mandata consulis,
Sequendo monita sanctorum dulcia,
Quos Petrus maximus Christo lucraverat,
Lavacro baptismi sacro regenerans.

4. His matrem puellae Plautillam nomine
Salutis chrismate volens adnectere,
Studens peragere mox ipse praevius
Crucis supplicio migrat ad aethera.

5. Tunc Clemens pontifex sedem apostoli
Regebat residens, sacro velamine
Quam Christo sacravit, quae mala pertulit
Recitans modulet nostra nunc cithara.

6. Accensus carnifex igne libidinis
In sanctae virginis necem excogitat,
Post celsa plurima sanctorum capita
Nec nomen percipi cupit diutius.

7. Saltando crepuit inter convivia
Animum virginis malens avertere,
Sed agna patiens stat immutabilis
Sitiens anxia vitae principium.

8. Animo rabido judex nequissimus
Mandat lictoribus igne supposito
Adustam perdere, impletur illico
Saeva praesumptio binis cum sociis.

9. Orantes pariter trino sub nomine
Praemittunt spiritus ad regna coelica,
Linquentes corpora terrae jacentia,
Videndo Dominum cernunt in gloria.

10. Trinitas beata simul et unitas,
Quaesumus, abluas nostra facinora,
Donando praemia nobis perpetua,
Salus permaneat cuncta per saecula.

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisin. (Arsen.) 135 add. saec. 14. — Mel.: Almi prophetae progenies pia; vor Str. 6 Divisio ad Laudes. — 2, 4 stirpe nobili. — 4, 2 Salus crismate . . . . . adnectare. — 5, 1 Tu Clemens. — 5, 4 fehlt eine Silbe; nunc ergänzt. — 7, 1 Saltendo. — 7, 4 principi. — 9, 2 Promittunt.

221. De sancto Floro.

Ad Vesperas.

1. O quam stelligera sede tuorum
Inter praecipuos discipulorum
Florum glorificas, sophia Christe,
Virtus summa patris, splendor, imago.

2. Qui sol justitiae verus ab arce
Descendis supera, defuit unquam
Ullo modo tibi vis radiando,
Quaerere, quod periit, salvificare?

3. Et hic egregius ejus alternus,
Quem nunc concelebrat concio fratrum,
Cujus precibus se saepe tueri
Ac praestante Deo congratulantur,

4. A Christo legitur sponte fuisse
Adscitus Domino series inter
Martyrum cuneumque duodenum
Ad dandum salubre praedicamentum.

5. Hic primus lutea pastor in urbe,
Praebens plebiculae pabula vitae,
Commissam Domino mnam sibi Christo
Lucratus geminam obtulit olim.

6. Obnixis precibus unde rogamus
Christum nunc Dominum, corde benigno
Quod nobis meritis propitietur
Tanti pontificis sitque misertus.

7. Ipsi summus honor, gloria perpes,
Lux, splendorque decus, sit decor atque,
Qui cum patre suo, neumate almo
Est per saecla Deus trinus et unus.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisien. 1274. — 1, 1 suorum. — 1, 3 glorificant. — 2, 2 inquam. — 2, 3 Nullo modo; Lücke von zwei Silben; tibi ergänzt. — 3, 3 tueris. — 4, 1 A ergänzt. — 4, 3 cuneum qui. — 6, 1 O niris precibus.

222. De sancto Floro.

Ad Laudes.

1. Rex Deus nostris faveat benignus
Laudibus gratis, pietatis auctor,
Quas sui Flori canimus modici
Tempore festi.

2. Quem sua clemens bonitate dudum
Legit electum, statuit connexum
Congregans Christus numero suorum
Discipulorum.

3. Obsequens Petro sociatus iste
Ejus ut fidus comes in remotis
Praedicans Christum Dominum cum illo
Semper amavit.

4. Galliis nam post ab eo directus
Praesul ingressus Lutevensem urbem,
Qua sedens primus populum sacravit
Omnipotenti.

5. Postmodum vero monitis libenter
Appetens divis aliena rura
Reddidit flatum Domino beatum
Mirificatus.

6. Hujus nunc tanti meritis hierarchae,
Christe, placatus miserere nobis,
Qui veternosum sublevasti mundum
Morte jacentem!

7. Sit, Deus, decus, honor et potestas,
Laus, salus perpes tibi comperenni
Cum patre, sancto spiritu per omne
Saeculum. Amen.

Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisin. 1274. — 1, 3 modicum; lies: modesti? — 2, 3 Gregans Christus. — 3, 3 Dominum ergänzt. — 4, 1 ab eo ergänzt. — 4, 2 egressus. — 5, 1 monitus. — 5, 3 reddit. — 5, 4 Mirificatu. — 6, 1 nunc ergänzt. — 6, 4 jacendum. — 7, 2 nec nemmi.

223. De sancto Foillano.

1. Exsultet coeli regia,
Laetetur praesens curia,
Quia regnat in patria
Praesul noster cum gloria.

2. Foillanus nunc sequitur
Agnum, quocunque ierit,
Et martyri conceditur,
Quidquid Deum rogaverit.

3. Ignis columna claruit
Solum tangens et sidera,
Quae reperiri docuit
Nocte sanctorum funera.

4. Fontis locus martyrii
Demonstrat privilegium
Et fossas sancto corpori
Fossae parat obsequium.

5. Sursum leventur animi
Ad praesulis praesidium,
Quo magis detur Domini
Perennis vitae bravium.

6. Praesta, pater ingenite,
Jesu, cum sancto flamine,
Ut Foillani precibus
Jungemur in coelestibus.

Colgan, Acta SS. Hiberniae p. 102 ohne Angabe einer Quelle A. — Acta SS. Oct. XIII p. 444 aus Prop. Leodiense imp. 1666. B. — Str. 1 und 2 fehlen A. — 4, 3 Et fehlt A. — 4, 4 Fossae ist hier Eigenname (Fosse). — Die Bollandisten teilen denselben Hymnus l. c. 443 mit „ex officiis ecclesiae Fossensis superiore saeculo editis“. Der Vergleich zeigt, dafs dies eine sog. „Verbesserung“ im Geschmacke der Zeit ist. — Ebensolche Verbesserungen sind die drei l. c. vorhergehenden, derselben Quelle entstammenden Hymnen. Sie sind hymnologisch wertlos.

224. De sancto Foillano.

Ad Completorium.

1. Respiremus in beati
Foillani memoria,
Attollamus praelibati
Praesulis solemnia,
Consurgamus excitati
In ejus praeconia.

2. Oriundus ex Hibernis
Regali prosapia,
Sub tenerrimma aetate
Crescens sapientia,
Vitae florens sanctitate
Sprevit transitoria.

3. Tandem ductus in deserta
Sacro ducente spiritu,
Ab impiis Apollinis
Pius occisus nemore,
Fossas translatus divino
Nutu quiescit corpore.

4. O patrone praeelecte,
Tua per suffragia,
O Foillane, Deum flecte,
Impetrata venia
Ut aeterne conferatur
Vitae nobis gloria.

Ex Cod. ol. Fossatensi Acta SS. Oct. XIII, 444. A. — Str. 1 ist dem Reimofficium gleichen Anfangs auf Hubertus entlehnt und danach zu korrigieren: 1, 1 Attollamusque A. — 1, 5 Hinc consurgamus A. — 2, 1 Hibernia A. — 2, 3 mox aetate A. — 2, 5 Vitaeque A. — 3, 3 sqq. Pius ab impiis Ampollinis occisus nemore Fossas translatus nutu divino quiescit corpore. — 4, 1 Patrone Dei praeelecta A.

225. De sancto Foillano.

Ad Vesperas.

1. Novis hymnorum modulis
Christo canamus gloriam,
Foillani pontificis
Venerando memoriam.

2. Auctor nostri collegii
Gregisque pastor crediti,
O Foillane, quaesumus,
Fer opem nobis omnibus.

3. Quondam lucerna vitreis
Maris Hiberni sedibus
Procedens sol ut aureus
Nostris es ortus finibus.

4. Miro clarescens dogmate
Urbem Romanam adiit,
Carnis fatiscens artubus
Mortis futurae praescius.

5. Martino Romae praesule
Jubente venit Galliam,
Cui jubar solis splendidi
Illuxit signis, famine.

6. Hunc Ultanus comitatur,
Gertrudis patrimonio
Fossis doctor collocatur
Signorum fulgens radio.

7. Tandem supremo tramite
Pinxisti rosas sanguine,
Cum dira sectus framea
Transisti coeli sidera.

8. Nunc summum tenens bravium
Agnumque sequens praevium
Nostris peccatis, poscimus,
Medere sanctis precibus.

9. Ave, pater Foillane,
Ave martyr et patrone,
Tuo psallentes nomini,
Junge choris coelestium.

10. Ne nos illudat zabulus
Hac nocte suis fraudibus,
Sed cum subjectis artubus
Vigil quiescat spiritus.

11. Christo sit laus et gloria
Ac Foillano gaudia,
Qui nos in lucis curia
Aeterno ditet praemio.

Ex Cod. ol. Fossatensi Acta SS. Oct. XIII, 444 A. — Dieser Hymnus ist augenscheinlich auf Melodie und Leisten des Dionysiushymnus „Coeli cives applaudite“ gemacht, welchen man oben vergleiche. Diese Wahrnehmung ermöglicht es, einige Fehler zu heben. — 4, 1 Vir obclarescens meritis; verbessert nach dem Dionysiushymnus 5, 1. — 5, 1 Romae pontifice, vgl. hymn. Dionys. 6, 1. — 5, 4 famine fehlt; ergänzt nach hymn. Dion. 6, 4. — 7, 2 rosae; lies: Tinxisti Fossas sanguine?

226. De sancto Foillano.

Ad Laudes.

1. Clara prius Hiberniae
Lux Foillane patriae,
Nostrae post umbris obsitae
Lumen dedisti Galliae.

2. In qua perfectis omnibus,
Quae docet sanctus spiritus,
Quod summum vitae decus est,
Beatus martyr factus est.

3. Nunc lucis compos coelicae
Nostras tenebras discute,
Quas cultor noctis horridae
Densat frequenti daemone.

4. Hac nocte, qua tartaream
Fregit servator januam,
Ab ipsa mundi victima
Tranquilla nobis impetra.

5. Ut mane cum surrexerit
Et justis apparuerit,
Nos Galilaeos faciat
Coelosque secum transferat.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Ex Cod. ol. Fossatensi Acta SS. Oct. XIII, 444. — 1, 3 imbris Hs.: Die Konjektur der Acta SS. *tenebris* trifft nicht das Richtige, da *post* des vorhergehenden *prius* wegen zu halten ist.

227. De sancto Fulcranno.

Ad Vesperas.

1. O Lodovensis civitas,
Imple coelum praeconiis,
Fulcranno laudes debitas
Totis cane praecordiis.

2. Hic sanctus totus aureus
Illustrat corda gentium,
Ut sole vibrans clipeus
Collustrat juga montium.

3. Cum animarum regimen
Suscepit dono gratiae,
Fulcrum fuit ad columen
Lodovensis ecclesiae.

4. Exemplar factus praesulum
Fame corpus edomuit,
Commissi gregis sedulum
Se pastorem exhibuit.

5. Et praefuit et profuit
Gregem pastor circumfovens,
Quem supra petram statuit
Dictis et factis commonens.

6. Per vitae magisterium
Nos, pater fervens spiritu,
Duc ad coeli palatium
Ereptos ab interitu.

Chronologia Praesulum Lodovensium, auctore Joh. Plantavitio de la Pause. 1634. p. 71.

228. De sancto Fulcranno.

Ad Matutinum.

1. Plaudat Fulcranni patria,
Cantus addantur plausibus,
Tota psallat vicinia,
Exsultet coelum laudibus.

2. Verna cum abstinentia
Conjungebat silentium,
Dempto cum quinta feria
Primo dierum omnium.

3. Nudos texit et aluit
Pia gerendo viscera
Et illos lavans meruit
Aeterna Christi munera.

4. Suae discessum animae
Novit, sepulchrum praescius
Benedicens fit ultimus
Ales diei nuntius.

5. Et cum efflaret animam
Dixit plenus constantiae:
Meum assume spiritum,
Summae Deus clementiae.

6. Patri, nato, paraclito
Decus, honor et gloria,
Sint hujus sancti merito
Aeterna nobis gaudia.

Chronologia praesulum Lodovensium p. 73.

229. De sancto Fulcranno.

Ad Laudes.

1. Vacans, Lodeva, laudibus
Fulcranno laudis jubilum
Propina bonis moribus,
Vita mortis periculum.

2. Nescivit praesul inclitus
Labem pudoris nivei,
Ejus lilia spiritus
Horti spirat empyrei.

3. Ab obsesso daemonium
Fugavit precum stimulo,
Consecravit hospitium
Ardens crucis signaculo.

4. Et ter Gibretum ambiens
Suis evertit precibus,
Et praedones ejiciens
Praeclusit viam fraudibus.

5. Consummans vitae spatium
Se dejecit ad pulverem,
Sub corpore cilicium
Sterni jussit et cinerem.

6. Patri, nato, spiritui,
Uni Deo sit gloria,
Nosque sanctorum coetui
Fulcranni jungat gratia.

Chronologia praesulum Lodovensium p. 73.

230. De sancto Fursaeo.

1. Laeta plaudat Hibernia
Latiniaci moenia
Choro coruscat jubilo
Pulso moeroris nubilo.

2. Clarum struit coenobium,
Fratrum ponit consortium,
Aqua scaturit baculo
Sed fixa terrae in arido.

3. Matrona vobis improba
Sancti supra ecclesiam
Gemit argenti millia
Tam multa, inquit perdita.

4. Fursaee, lampas sideris,
Tui memor sis generis,
In nos cum mors jam pendulum
Suum fuderit jaculum.

5. Clausa natus de virgine
Jesu, spei fons unice
Cum patre et sancto spiritu
Pius salvet in transitu.

Colgan. Acta SS. Hiberniae p. 89 „ex Arnoldo Wion. lib. 3. Ligni vitae.“ Aus der gleichen Quelle entnommen, findet sich der Text mit den gleichen Fehlern Acta SS. Jan. II. 400 u. f. — 2, 4 lies fixa terrae sabulo. — Str. 3 ist total verdorben; vorab ist 1, 1 vobis sinnlos. Die Geschichte, auf die vermutlich angespielt wird, steht Acta SS. l. c. 406 (nr. 8) und 414 (cap. II).

231. De sancto Fusciniano.

Ad Laudes.

1. Speciosus splendens, Christe,
in omnipotentia,
Qui sanctorum exstas decus
et fomes sensificus,
Fusciani nobis atque
Victorici martyum,

2. Gentiani quique donas
celebrare praemia,
Petimus, ipsorum ut nos
muniant suffragia,
Quorum tibi pretiosa
complacuit passio.

3. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Meldense saec. 15. Cod. Parisin. 1054. A. — Diurn. ms. Meldense (?) saec. 15. Cod. Parisin. 1069. B.

232. De sancto Gabriele.

1. Veneremur Gabrielem,
summi regis nuntium,
Per quem Deus delegavit
sacrum ministerium,
Ex virgine incarnandum
Jesum suum filium.

2. Paranymphus Dei missus
ad Mariae thalamum,
Ad hoc Deus te elegit
suum secretarium,
Fidem praebens virgo parens
et concepit Dominum.

3. Gabriel, virtus divina,
debiles fortifica,
Ut vincamus inimicum,
veni, nos corrobora,
Ut post mortem conregnemus
intra coeli limina.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque,
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. ms. Tolosanum saec. 14. Cod. Tolosan. 74. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisin. 13236. C. — 1, 3 Deus fehlt B. — 1, 5 incarnatum B. — 2, 5 suum salutarium B. — 3, 4 Christi nos corrobera B. — Zu vergl. ist Anal. XVI, Nr. 219.

233. De sancto Gabriele.

Ad Vesperas.

1. Sancta mater ecclesia
Tam militans quam triumphans
Gabrielis praeconia
Est hodie solemnizans.

2. Sacratumque collegium
Angelum hunc veneratur
Spirituum coelestium,
Cum ibidem laureatur.

3. Dum Gabriel praeconizat,
Verbum Dei concipitur,
Synagoga jam declinat,
Et lex nova tunc nascitur.

4. Virgo sacra certis horis
Cum Gabriele loquitur
Fitque mater salvatoris,
Nec virginitas perditur.

5. O Gabriel gratissime,
Cum virgine tunc conferens,
Nunc desolatis maxime
Adsis grate subveniens.

6. Ora nunc pro ecclesia
Repleta multis fletibus,
Verus pastor dominia
Teneat tuis precibus.

7. Sit laus, honor et gloria
Trinitati deificae,
Quae angelos in patria
Exaltavit mirifice.

Brev. Grassense imp. s. l. et a. (1528).

234. De sancto Gabriele.

Ad Laudes.

1. Tibi, Christe, splendor patris,
vita, virtus cordium,
In conspectu angelorum
votis, voce psallimus,
Aeternantes concrepando
melos damus vocibus.

2. Zachariae jam turbato
archangelus loquitur,
Ne timeas, inquit ei,
datur tibi filius,
In cujus nativitate
fit gaudium gentibus.

3. Vocabitur hic Johannes,
propheta altissimi,
Ex utero suae matris
sanctus erit certius,
Fitque pater totus laetus
Gabrielis vocibus.

4. O angele venerande,
pastorem ecclesiae
Fac laetari et gaudere,
nec formident filii
Redire ad pium patrem
sic non erunt devii.

5. Gloriam patri melodis
personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
gloriam paraclito,
Qui trinus Deus et unus
exstat ante saecula.

Brev. Grassense imp. s. l. et a. (1528).

235. De sancto Gabriele.

Ad Vesperas.

1. Ordo ut juris postulat,
Gaudere omnes audeant,
Dum Gabriel nunc bajulat
Nova, unde congaudeant.

2. Nullus unquam ad mortales
Missus est talis bajulus,
Qui faciat commensales
Ejus, cujus est famulus.

3. Per te lux nova oritur,
Nova per te sunt omnia,
Virgo parit, mors moritur,
Umbra perit et somnia.

4. Ipse Deus ultionum
Pius pater est effectus,
Perit cultus nationum,
Sanctus crescit nunc affectus.

5. Illum ergo veneremur,
Per quem sumus sublimati,
Ab angelis reveremur,
Postquam sumus Christo nati.

6. Gloria sit trinitati,
Per nuntium Gabrielem
Nos jungat aeternitati
Atque populum fidelem.

Antiph. ms. Francisc. Hibern. saec. 15. ex Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. A. — Brev. Bisuntinum imp. Parisiis 1531. B. — 5, 1 Illud ergo A. — 5, 2 Per quod A.

236. De sancto Gabriele.

Ad Nocturnum.

1. Archangelus in conclave
Per ostium non patulum
Virginis intrat, ut Ave
Offerens salvet saeculum.

2. Exsequitur officium,
Dulci fatur eloquio,
Turbat ejus judicium
In tam grandi proloquio.

3. Tunc maxima pertractantur
In isto consistorio,
Virgo claudit, quae mandantur,
Mentis suae armario.

4. Plenitudo est temporis,
Jubet natum incarnari
Pater in templo corporis
Ejus nobisque donari.

5. Archangelus pacificat
Post territam ejus mentem,
Altum opus clarificat
Et aemuli ferit dentem.

6. Gloria sit trinitati
Per nuntium Gabrielem,
Nos jungat aeternitati
Atque populum fidelem.

Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. A. — Brev. Bisuntinum imp. Parisiis 1531. B. — 3, 4 Mentis in armario A. — Die Doxologie lautet in A:

Gloria sit trinitati,
Quae fecit per Gabrielem
Haec et ejus bonitati
Grates reddimus fidelem,

wo wohl in der dritten Zeile cujus statt ejus, in der vierten vielleicht gratem (?!) zu lesen oder fidelem zu Gabrielem zu ziehen ist.

237. De sancto Gabriele.

Ad Laudes.

1. Gabrielis sancti laudes
Nunciet virgo Maria,
Si proloqui secum audet,
Paedicet cum Zacharia.

2. Praeservat matrimonium
Virginem ab infamia,
Nam tulit testimonium
Praeco de castimonia.

3. Dum Christus in agonia
Sudat, venit hunc confortans,
Qui verbo portat omnia,
Ut sufferat, fit exhortans.

4. Satis exstat credibile,
De angelis fuit unus,
Qui sepulchri ad cubile
Praedixit non esse funus.

5. In mortis sacrae triduo
Christi matrem confortavit,
De actu ejus arduo
Alta nova reportavit.

6. Non defuit ascendenti
Inter magnos praecipuus,
Qui adfuit descendenti,
Christi praeco tam strenuus.

7. Laus sit semper trinitati
Sicut et ab initio,
Bonis verbi incarnati
Fruamur cum hoc nuntio.

Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. A. — Brev. Bisuntinum imp. Parisiis 1531. B. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. C. — 2, 1 Hic servat B. — Str. 4—7 stehen in B auch als selbständiger Hymnus ad Completorium.

238. De sancto Georgio.

Ad Vesperas.

1. Scandit caelum mittens telum,
Draconi figens acrius,
Flagrans miles, nostras viles
Terras linquens Georgius.

2. Hic venustus haud exustus
Florem indutus speciem,
Intus nitet, cum evitet
Obscoenam mundi faciem.

3. Docet rudes hoc, quod tu des.
Christe Deus, potentiam,
Quos convertit et avertit
Baptismi praebens gratiam.

4. Fraudem cernit, hanc consternit,
Virum prospectans daemonum,
Quem delusum, cruce fusum
Mittit averno dissonum.

5. Patrem, natum, miles, datum
Almum deposce meritis,
Ut victores allectores
Trudamus procul abditis.

Brev. ms. Parisiense (?) saec. 15. Cod. Carlopolitan. 146. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisin. 1024. B. — Brev. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisin. 1263. C. — Brev. ms. Farisiense saec. 15. Cod. Parisin. 1291. D. — Brev. ms. Parisiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisin. (Arsen.) 660. E. — 1, 1 Cadit micans celum C; coelum micans telum BE. — 1, 2 fidens C. — 2, 1 Hic vir justus hanc exustus C; Hic non ustus aut exustus BE. — 2, 4 cum enitet D. — 3, 2 Deus clementiam D. — 3, 3 aut avertit C. — 3, 4 praebens fehlt C. — 4, 1 Fraudem fuit et refundit C. — 4, 2 Unum prospectans BE, Rumen prospectans C. — 4, 4 Mittit a verbo C. — Str. 5 lautet in C: Patrem natum miles datum almum deposce mentis victores tuideamus procul abditis. Amen.

239. De sancto Georgio.

Ad Laudes.

1. O athleta, victor, laeta,
Georgi, fulgens laurea,
Te laudamus, hic ovamus,
Lux, ecce, surgit aurea.

2. Fide rectus, spe provectus,
Quem fruens ignit caritas,
Mortem spernit, vitam cernit,
O lux beata trinitas.

3. Multos terror vicit, error
Multorum palam dissonat,
Cum egressus vir nec fessus,
Vox clara, ecce, intonat.

4. Christum fatur, quo ditatur
Strages firmavit comitum,
Stat tribunus, princeps unus,
Deus, tuorum militum.

5. Ergo fortem contra mortem
Poscat mens ducem saucia,
Ut exsistat, quae nunc distat,
Aeterna coeli gloria.

Brev. ms. Parisiense (?) saec. 15. Cod. Carlopolitan. 146. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisin. 1024. B. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 1291. C. — Brev. ms. Parisiense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Parisin. (Arsen.) 660. D. — 1, 1 virgo laeta C. — 1, 3 huic oramus A. 3, 1 Multa terror BCD. — 3, 3 vix nec B. — 4, 1 Ipsum fatur A. — 4, 2 firmat A, firmatur B. — 5, 1 Virgo fortem C.

240. De sancto Georgio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Sancti Georgii martyris
Laudent hoc festum militis,
Qui sunt in mundi ordine
A solis ortus cardine,

2. Laudent in coelis hodie
Cum summo rege gloriae,
Sanctus miles tam nobilis
Consors paterni luminis.

3. Militem hunc sanctissimum
Ad summum coeli gaudium
Duxisti tu Georgium,
Christe, redemptor omnium.

4. Contra draconem nobili
Dedisti posse militi
Et paradisi gaudium,
Rex Christe, factor omnium.

5. Cuncta peccata abluc
Nostra pie et tribue
In terra pacem omnibus
Nunc sancte nobis spiritus.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui servas nos quotidie
Concedat tua gratia
Beata nobis gaudia.

7. Quaesumus, auctor saeculi,
Omnes, ut nostri oculi
Te valeant respicere
Et tibi laudes reddere.

8. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti hodie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerien. s. n. A. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. B. — 1, 2 hoc fehlt AB, ist nachgetragen B. — 8, 2 Qui surrexisti a mortuis A.

241. De sancto Georgio.

Ad Laudes.

1. Sermone blando nobilem
Laudemus sanctum militem,
Quem coronavit hodie
Pater aeternae gloriae.

2. Ille cum esset juvenis,
Pugnavit tamquam nobilis
Contra draconem fortiter,
Quem occidit viriliter.

3. Purgemus nostra crimina
Et omnes cum laetitia
Laudemus hunc fortissimum
Militemque sanctissimum.

4. Rex Christe, clementissime,
Tu laudes nostras suscipe
Et nobis cum laetitia
Da sempiterna gaudia.

5. Quaesumus, auctor saeculi,
Omnes, ut nostri oculi
Te valeant respicere
Et tibi laudes reddere.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti hodie,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerien. s. n. A. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. B. — Mel: Sermone blandus angelus.

242. De sancto Georgio.

In 2. Vesperis.

1. Ad coenam agni providi,
Fac, ut nos sancti angeli
Ducant cum sancto milite,
O sancte pater inclite.

2. Christe, redemptor omnium,
Duxisti tu Georgium
Sanctum ad coeli gaudium,
Militem nobilissimum.

3. Nunc sancte nobis spiritus
In terra pacem omnibus
Da et nostra peccamina
Cuncta dele et crimina.

4. Aeterne rex altissime,
Qui surrexisti hodie,
Sancti patris juvamine
Nos reple sancto lumine.

5. Quaesumus, auctor omnium,
Ut uber verum gaudium
Praestes in omni tempore
Et terrae de coeli rore.

Brev. Sedunense imp. Basileae 1497.

243. De sancto Georgio.

Ad Vesperas.

1. Exsulta, cleri concio,
In martyris solemnio
Quam coronavit hodie
Magnae Deus potentiae.

2. Tormentorum saevitias
Et tyranni nequitias
Exsuperans viriliter
Vivit regnans feliciter.

3. O martyr invictissime,
Qui certasti legitime,
Semper in adjutorium
Intende supplicantium.

4. Praestet hoc nobis deitas,
Cui est summa bonitas,
Cum qua regnat superius
Felix miles Georgius.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

244. De sancto Georgio.

Ad Laudes.

1. Christe, redemptor omnium,
Sanctificans Georgium,
Perduc nos ad coelestia
Per ipsius suffragia.

2. Salvavit regis filiam
A draconis voragine,
Convertens Alexandriam
Matrem baptismi sanguine.

3. Magum fortem exsuperans
Quam felici martyrio
Confortavit de praemio,
Coelos eidem reserans.

4. Aperi nobis januam,
Deus, coeli pro meritis
Dilecti tui militis,
Dans coronam perpetuam.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). — 3, 4 Coelus ejusdem Hs.

245. De sancto Georgio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Incliti martyris mira prodigia
Narrent fidelibus . . . . . .
. . . . . ., ut ad suffragia
Ejusdem currant singuli.

2. Contemptis idolis egenis tribuit
Hic miles nobilis cuncta, quae habuit,
Sequi pauperrimus postmodum voluit
Christum, ductorem saeculi.

3. Necatus acriter serrarum vulnere,
Dum jussit Christi vox eundem vivere,
Surrexit citius martyr de funere
Laudans Christi magnalia.

4. Coelesti Domino sit laus et gloria,
Quem noscunt principem tellus et maria,
Hic nos admittere in sua curia
Dignetur cum gaudentibus.

Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisien. 1285.

246. De sancto Georgio.

Ad Laudes.

1. Exsultent Christi milites
In beato Georgio,
Qui tot adjunxit comites
Coelestium collegio.

2. Rore mundatam coelico
Ducis uxorem perfidi
Actu vocat mirifico
Ad coenam regis providi.

3. Hic natam regis eruit
A dracone saevissimo,
Plebs nequam inde meruit
Dare laudes altissimo.

4. Regi coeli egregio
Melos canamus gloriae,
Qui contulit Georgio
Regna coelestis patriae.

Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisien. 1285.

247. De sancto Gervasio.

1. Martyrum felix certantium gloria,
Militum Christi mors ubique splendida,
Qua victa dextrae saevientis ungula
Vitae merentur laetabundae praemia.

2. Inter quos tantae dignitatis proceres
Cum fratre gaudet Gervasius jugiter,
Quorum trophaea venerantes inclita
Christo devota personemus carmina.

3. Hos uno claro genitore genitos
Lucem dedisti, pie rex, per populos,
Quos una die socialis unitas
Vexit ad coelum laureatos pariter.

4. Fraterno ibi conjugati bravio
Aeterno laeti perfruuntur gaudio,
De Jesu dulci satiati corpore
Ejus potantur et perenni sanguine.

5. Ergo plorantes imploramus supplices,
Ne preces nostras super astra positas
Effectu posse impetretis prospere,
Quo vestro laeti frequentemur munere.

6. Precantes vide, veneranda trinitas,
Precantes solve, sempiterna deitas,
Quam decet honor, virtus atque gloria
Per infinita saeculorum saecula.

Brev. ms. saec. 14. Cod. Parisien. 1259. — 3, 1 Vos uno. — 4, 3 satiari. — 5, 2 sq. verdorben; man erwartet preces nostrae und statt posse etwas wie careant.

248. De ss. Gervasio et Protasio.

Ad Laudes.

1. In martyrum solemniis
Gervasii et Protasii
Laetetur plebs fidelium,
Laudes Deo canentium.

2. Horum parentum nomina
Vitalis et Valeria,
Qui gloriosi martyres
Christoque sunt amabiles.

3. Hos una mater edidit
Ejusdem partu temporis,
Quos nexuit plus sanctitas,
Quam sanguinis propinquitas.

4. Qui derelicti parvuli
Parentibus a mortuis,
Si tamen fas est dicere,
Sic mortuos non vivere.

5. Exinde sanctimoniam
Sequuntur et substantiam
Dant prorsus indigentibus
Christum sequentes penitus.

6. Clauduntur in coenaculo
Annorum decem spatio,
Orationi dant suum
Et lectioni studium.

7. Hoc ordine clarissima
Haec duo luminaria
Accendit par devotio,
Lucere fecit passio.

8. Bonorum semper invidus
Dolet videns diabolus,
A talibus se decipi
Et per eos a plurimis.

9. Produxit ergo judicem
Iniquitatis et trucem,
Qui Christianos plurimis
Affligeres ludibriis.

10. Nostras preces exaudiat
In unitate trinitas,
Vestroque nos collegio
Conjungat in perpetuo.

Brev. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Gebennen. ml. 36 b. A. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. B. — Brev. S. Petri Gebennen. imp. Gebennae 1556. C. — Str. 7 fehlt A. — 8, 1 Honorum semper B. — 9, 4 Affligerent ABC.

249. De sancto Gonerio.

Ad Vesperas.

1. Gonerio decantemus
Laudes et praeconia,
Cordi vocem concordemus,
Sic stemus constantia,
Ut cum ipso jubilemus
In coelis Alleluja.

2. Spe robustus, fide clarus
indutusque moribus,
Mundo placens, Deo carus
Erogatis opibus
Sua linquit, sibi rarus
Et largus pauperibus.

3. Gonerius dum recessit
Ex partibus Angliae,
Ad populum mox accessit
Minoris Britanniae,
Plebs ac clerus sibi cessit
Totius viciniae.

4. Dum intendit hic culturae
Terrae non fructiferae,
In se sentit oppressurae
Vim turbae pestiferae,
Hunc feriunt non de jure
Rupto dextro latere.

5. Mox dum sanctum vi faciunt
Ad terram procumbere,
Iram Dei mox sentiunt
In ipsos descendere,
Res miranda, caeci fiunt
Atque muti propere.

6. Cum hoc ipsi percipiunt,
Moti poenitentia
Clamant corde, incipiunt
Poscere suffragia,
Sanitatem recipiunt
Alvandi praesentia.

7. Tunc Alvandus consolatur
Cernens hoc miraculum,
Plebs exsultat et laetatur
Et statim per populum,
Quod gestum est, promulgatur
In saeculi saeculum.

8. Miraculis cumulatur
Hujus Armoricia,
Per suorum honoratur
Operum magnalia,
Laus in terris sibi datur
Et in coelis gloria.

9. Patriarchae consolantur,
Hunc prophetae nutriunt,
Apostoli venerantur,
Martyres custodiunt,
Confessores famulantur,
Virgines obediunt.

10. Throni namque celsitudo
Triplexque hierarchia,
Angelorum multitudo,
Tota coeli curia,
Coeli, terrae latitudo
Dant ei praeconia.

11. Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

Legenda ms. Trecorensis. saec. 15. Cod. Parisien. 1148.

250. De sancto Gregorio.

1. Gaudeat sancta nunc mater ecclesia,
Fulta doctrinis et canticis divinis,
Magni pastoris, eximii doctoris
In festo sancti praesulis Gregorii.

2. Qui auro, gemmis, sericis indumentis
Se nudans Christi fit pauper et monachi
Vilia quaerit, monasteria condit,
Septem praediis large ditans propriis.

3. Celebs monachus fit abbas largifluus,
Strenuus rector pauperumque dilector,
Dat ut naufrago argenteam angelo
Scutellam marcis ceteris erogatis.

4. Papa fit urbis, caput totius orbis,
In forma Christi corpus monstrat digiti.
Servum servorum primus scribit se ipsum,
Humilis praesul, pius inopum consul.

5. Scriptis insudat, homilias praedicat.
Narrat exempla, dilucidat obscura,
Salvat Trajanum justum, licet paganum,
Febribus aeger, sed facundia pulcher.

6. Sit Deo patri sempiterna gloria,
Sit coaeterno laus et honor filio,
Sit coaequali laus sancto spiritui,
In caput sancti qui sedit Gregorii.

Brev. Tornacense imp. Parisius 1509. — 3, 4 ceteris sic erogatis. — 6, 2 coaeterna. — 6, 3 coaequalis.

251. De sancto Guillermo.

Ad Vesperas.

1. Laudet vocis in jubilo
Guillermum ducem inclitum
Monachorum devotio
Laudis exsolvens debitum.

2. Hic ex nobili Francia
Claris natus parentibus
Floruit ab infantia
Scientiarum dotibus.

3. Ingens armorum probitas
Laudat adolescentiam,
Cui non deest castitas
Juxta mundi lasciviam.

4. Factus de domo regia
Stat primus inter consules,
Sana praebens consilia
Laudatur inter principes.

5. Demum relinquens omnia
Desertum petit asperum,
Contra mundana vitia
Statum assumens pauperum.

6. Fundato monasterio
Monachi sumpsit habitum,
Sub quo Deo propitio
Ad coelos fecit transitum.

7. Sit trinitati gloria
Pro tanti patris laudibus,
Qui nos trahat ad coelica
Suis conformes actibus.

Brev. ms. Gellonense (Saint Guillem du Désert) saec 15. Cod. Pessulanus 19: 1° fol. 153 b. A; 2° fol. 733 b. B. — 2, 4 doctibus A. — 3, 4 laciviam A. — 5, 3 Extra mundana B. — 7, 4 conformet A.

252. De sancto Guilermo.

Ad Nocturnum.

1. Hymnis dignum coelestibus
Digne Guilermum militem
Laudemus in virtutibus
Et cunctis bonis divitem.

2. Ex praeclara progenie
Natus moribus claruit,
Unde fit pater patriae,
Cum ejus fama splenduit.

3. Post expletam militiam
Crucis confractis hostibus
Transit ad poenitentiam
Spretis mundanis omnibus.

4. Monachali sub habitu
Erexit monasterium,
In quo felici transitu
Vires devicit hostium.

5. Sit trinitati gloria.

Brev. ms. Gellonense saec. 15. Cod. Pessulanus 19: 1° fol. 154 a. A; 2° fol. 734 a. B. — 4, 1 Monachi sub habitu B.

253. De sancto Guilermo.

Ad Laudes.

1. Patrem, patronum, speculum
Cura, titulo, moribus,
Qui carnem, hostem, saeculum
Suis vicit virtutibus,

2. Laudet mater ecclesia
Purificatis mentibus,
Guilermum, per quem praemia
Meretur in coelestibus.

3. In mundo dives, nobilis,
Probitate clarissimus,
Pro Christo pauper, humilis
Fit monachorum infimus.

4. Oratione sedula
Vicit hostem et opere
Sancto carnem et saecula
Pauper divino munere.

5. Sit trinitati gloria.

Brev. ms. Gellonense saec. 15. Cod. Pessulanus 19: 1° fol. 154 a. A; 2° fol. 741 a. B. — 1, 3 saeculum fehlt A.

254. De sancta Helena.

Ad Nocturnum.

1. Praeclaris Helenae vocibus almae
Psallat cum sociis hic chorus omnis,
Qua lux justitiae stirpis et altae
Lampas nobilitat, splendor honorat.

2. O regum genitrix, mater et orbis,
Qua tendit patulos Gallia fines,
Quondum Roma tibi condere laudes,
Nunc te percelebrant Remica plebes.

3. Vexillum fidei jusque trophaei,
Quo Christus Dominus vicerat hostem,
Per te conspicuum nunc replet orbem
Humano generi dando salutem.

4. Per te clara patent signa salutis
Sacrato populis fonte renatis,
Dum crux viperea peste carentes
Salvat vivifico munere turbas.

5. Praesta supplicibus vitae redemptis,
Per sublime crucis mite trophaeum
Diri diffugiant eminus hostes,
Et nos hinc capiant sidera cives.

Brev. ms. Remense saec. 14. Cod. Remen. 200 (154). A. — Brev. ms. Remense (?) saec. 15. Cod. Mazarin. 372 (776). B. — 1, 1 Praecelsis B. — 2, 3 concelebrat B. — 4, 4 turbis B. — 5, 2 mire trophaeum B.

255. De sancta Helena.

Ad Laudes.

1. Jesu, redemptor gentium,
Sanctae, precamur, Helenae
Solemnitatis gaudio
Voto feramur supplici.

2. Cujus pio certamine
Crucis trophaeum nobile
Nobis retectum panditur
Errore tectum perfido.

3. Haec sceptra saecli totius
Coelestis aulae particeps
Spernens, egenis subditur
Materque fit clientium.

4. Quam castus ardor feminae,
Mundi triumphans principem
Regale tempsit commodum,
Regale fert commercium.

5. Rerum sator, te poscimus,
Ejus precatu servulis
Praestes medelam vulnerum
Pellens doli contagium.

6. Sit laus, honor et gloria
Celso patri cum filio,
Sancto simul paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Remense (?) saec. 15. Cod. Mazarin. 372 (776).

256. De s. Helena Trecensi.

Ad Vesp. et Noct.

1. Pange, lingua, gloriosae
Virginis praeconium
Atque mentis ulcerosae
Deponens flagitium,
Offer Deo gratiosae
Laudis sacrificium.

2. Dei laudent officinam
Vota, voces omnium,
Urbem tamen Trecassinam
Majus decet gaudium
Propter datam medicinam
Contra carnis vitium.

3. Ave, Deo desponsata
Patrona Trecensium,
Porphyrio praesignata
Per hibernum lilium,
Habens quoque nondum nata
Cum matre colloquium.

4. Duo simul haec patravit
Praeclara miracula,
Quando nimbos impetravit
Ens sub divo parvula,
Nulla tamen irrigavit
Cunas ejus guttula.

5. Quando templi celebrari
Contigit encennia,
Hoc debere consecrari
Pro Mariae gloria,
Palam fatur, licet fari
Negaret infantia.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Trecense saec. 13. Cod. Trecen. 1147. A. — Brev. ms. Trecense saec. 14. Cod. Trecen. 1148. B. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1847. C. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod Trecen. 1981. D. — Diurn. ms. Trecense saec. 15. Cod. Parisin. 13237. E.

257. De sancta Helena.

Ad Laudes.

1. Palma ramum inclinavit
Helenae dans epulum,
Sponsus ei destinavit
Per columbam annulum,
Ex quo multis temperavit
Suae carnis stimulum.

2. Dum Helenam praesul rite
Lavat aquis fontium,
Dextra Dei signo vitae
Signat baptisterium,
Quod videntes eremitae
Ferunt testimonium.

3. Nihil prorsus minoravit
Ignea voracitas
Luminare, quod gestavit
Renata virginitas,
Sed, ut sacrista probavit,
Prima mansit quantitas.

4. Calix simul et contentum,
Tam aqua quam vasculum,
Commutatur in argentum
Post Helenae poculum,
Quod probatum est inventum
Et purum et tinnulum.

5. Dum sub pinu capiebat
Somnum in meridie,
Turtur pulsa serviebat
Aestus intemperie,
Atque muscas abigebat
Ab Helenae facie.

6. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque,
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. ms. Trecense saec. 13. Cod. Trecen. 1147. A. — Brev. ms. Trecense saec. 14. Cod. Trecen. 1148. B. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1847. C. — Brev. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 1981. D. — Diurn. ms. Trecense saec. 15. Cod. Parisin. 13237. E. — 4, 6 stinnulum E. — Der Hymnus erscheint fast als bloſse „Divisio“ des vorigen.

258. De sancto Hieronymo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Verbum supernum prodiens,
Thesaurum sapientiae
Hieronymus effodiens
Fit celsae vas scientiae.

2. Hostes prostravit rigide
Cum veritatis jaculis,
Alumnos Christi fervide
Fovet amoris pabulis.

3. De petra mel dulcissimum
Sugit doctor sapidius,
Saxum cujus durissimum
Dat oleum liquidius.

4. Scripturam curam masticat
Exponens vir catholicus,
Figuram duram ruminat
Hic doctor evangelicus.

5. Strictam vivendi formulam
Hieronymus prae ceteris
Artamque viae regulam
Dat verbis, vita, literis.

6. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos prece Hieronymi
Perducat ad coelestia.

Brev. Tornacense imp. Parisiis 1509. — Zum Officium: Sancti Hieronymi clara praeconia.

259. De sancto Hieronymo.

Ad Laudes.

1. Hieronymi solemnia
Jam pange dulci carmine,
Gaudens, mater ecclesia,
De tantae prolis germine.

2. Nam felix doctor hodie
Subvehitur ad aethera,
Mundum luce scientiae,
Vita replens aetherea.

3. Virgo coronam virginum
Hieronymus promeruit
Squaloresque carnalium
Acerbius deseruit.

4. Deserti domus horrida
Semivivum non terruit,
Aestas fervebat torrida
Nec vitae rigor marcuit.

5. Eremitarum praemium
Hic eremita percipit,
Simul doctorum bravium
A Christo doctor accipit.

6. Trino Deo et simplici
Laus, honor, virtus, gloria,
Qui nos prece Hieronymi
Perducat ad coelestia.

Brev. Tornacense imp. Parisiis 1509. — 2, 3 Mundum coelesti scientiae — 4, 4 mercuit.

260. De sancto Hilario.

Ad Vesperas.

1. Laudes, Christe, tibi voce jucunda,
Mentis laetitia, moribus aptis
In quocumque loco reddere semper
Sanctorum cupiunt vota tuorum.

2. His non carnis onus, non furor hostis,
Non pressura gravis, non vitiorum
Incentiva queunt tollere dignis
Decantanda modis cantica laudum.

3. Nam pro judiciis haereticorum
Multos Hilarius pauper et exsul
Propter te voluit ferre labores,
Nec laudum tacuit victor honores.

4. Doctrinas varias impietatis
Figmentique novi verba profana
Verbis simplicibus sic reprobavit,
Quod gens bella movens victa quievit.

5. Confidenter agens pastor honestus
Et doctor celebris magnus in orbe,
Defensor fidei fortis in hostes
Vinci non potuit, vincere novit.

6. Laus et summus honor sit genitori,
Sit nato pariter spirituique,
Quorum quisque Deus, tres Deus unus,
Nostrum quisque bonum nunc et in aevum.

Brev. ms. Lucionense saec. 14. Cod. Parisin. 1033. A. — Brev. ms. Pictaviense saec. 15. Cod. Parisin. 1057. B. — Brev. ms. Pictaviense saec. 15. Cod. Pictavien. 39. C. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. D. — Brev. ms. Lingonense saec. 15. Cod. Calmontan. 26. (Invent. Robert) E.

261. De sancto Hilario.

Ad Laudes.

1. O quam magnificus quamque benignus
In sanctis Dominus, gratia cujus
Illis magna parat, multa revelat,
Quae damnosa malis littera velat.

2. Nam quae legis erant tecta figuris
Aut sensu dubio dicta latebant,
Ipsis interius noscere donat
Et verbis propriis dicta referre.

3. Argumenta quibus convenienter
Inconcessa probant, falsa refutant,
Adjungit fidei, sicque fideli
Fiunt clara magis, firma rebelli.

4. Errorum latebras prodere gnarus,
Certos de dubiis edere sensus,
Prudens Hilarius novit et ipsum
Verborum facies nulla fefellit.

5. Fallaces nebulas haereticorum
Veri luce tulit lumine pleno,
Sol caecis animis, splendida caeli
Urbi stella suae, lucifer orbi.

6. Laus et summus honor sit genitori,
Sit nato pariter spirituique,
Quorum quisque Deus, tres Deus unus,
Nostrum quisque bonum nunc et in aevum.

Brev. ms. Lucionense saec. 14. Cod. Parisin. 1033. A. — Brev. ms. Pictaviense saec. 14. Cod. Parisin. 1057. B. — Brev. ms. Pictaviense saec. 15. Cod. Pictavien. 39. C. — Brev. ms. Lingonense saec. 15. Cod. Calmontan. 26. (Invent. Robert) D. — 1, 4 vellat A. — 2, 1 Jam quae legis A.

262. De sancto Hilario.

In Vesperis.

1. Lumen serenum Galliae,
Hilarium nunc praesulem,
Verum diem qui possidet,
Canamus ore, pectore.

2. Plenus superno munere
Doctor micans ecclesiae,
Christi pio pro nomine
Exsul fuit Seleuciae.

3. Tormenta, vincla pertulit,
Famem, sitim non horruit,
Quod poena major intulit,
Perfecit illud gloriae.

4. Pro rege miles exiit,
Pugnans triumphum percipit,
Victo Arriano Caesare
Coeli stat ante principem.

5. Res mira causae contigit,
De clade vitam sumere
Hostem sui, plus horruit,
Cum se flagellis subdidit.

6. Labor coronam praebuit,
Sudor quietem contulit,
Amore Christi perfruens,
Quae vult, benignus obtinet.

7. Soluta firmat corpora,
Claudis refert vestigia,
Febrem anheli pectoris
Coelesti rore decutit.

8. Caecis diem dat consciam,
Nascendo quam non noverant.
Deus suis fidelibus,
Quae postulat, non abnuit.

9. Gloria tibi, Domine,
Gloria unigenito
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.

Cod. Parisin. 1146. saec. 14. A. — Brev. ms. Pictaviense saec. 16. Cod. Pictavien. 40. B. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. C. — 1, 2 hunc praesulem A. — 4, 4 Felix stat ante. — 7, 4 rore detusit B.

263. De sancto Honorato.

1. Pangat chorus Lirinensis,
Resultet terra gaudiis
Arelatensis, canticis
Festivet festum praesidis.

2. Hos instruxit, hos cibavit,
Dum frumenta cumulavit,
Egens dives abundavit
Annali cursu tempore.

3. Hic eripiens a daemone
Regis natam et praemium
Athletam Christi Karolum
Postulavit de carcere.

4. Anolinus erigitur
Ab Honorato, nititur
Hic caput infra subdere,
Virtutem coepit noscere.

5. Post passus est supplicium
Videns fratrem occumbere,
Gloriosum Venantium
Intuitus in aere.

6. Superstes cruce signavit,
Lirum rinum visceravit,
Lympha de petra manavit
Trino vocato nomine.

7. Patri detur potentia
Filioque prudentia,
Spiritui clementia
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Lirinense saec. 15. Cod. Parisien. 10486. A. — Brev. Forojuliense imp. Taurini 1495. B. — Brev. Grassense imp. Lugduni 1528. C. — 2, 3 divus A. — 3, 1 eripens A. — 5, 2 succumbere BC. — 5, 4 Intuitus est ABC. — 6, 1 signat A. — 6, 2 Lyrum rynum visceravit BC, Lirum rinum visce munit A.

264. De sancto Honorato.

1. Ignis lucens Andronicus
Polum attingens filius,
Uterque parens anxius
Occultat visum spiritus.

2. Cervus occurit coetui
Istum admovens cursui,
Ut congruebat statui
Senis adduxit manui.

3. Cervus ille prosiliens
Mox est factus obediens,
Quot annis pascis inquiens
Antiquo dixit nesciens.

4. Negat pastum adjiciens
Omne quod cupit sapiens.
Servis suis obediens,
Facit Jesus omnipotens.

5. Hic commutatus gratia
Cervi sequens vestigia
Haerentis sua cornua
Equum cepit ad vincula.

6. Patri detur potentia
Filioque prudentia,
Spiritui clementia
In sempiterna saecula.

Brev. ms. Lirinense saec. 15. Cod. Parisin. 10486. A. — Brev. Valentinum anni 1420. Cod. Parisin. (Arsen.) 105. B. — Brev. Valentinense imp. Neapoli 1489. C. — „Sequens hymnus dicitur super annum, quando fit de sancto Honorato.“ A. — 1, 4 Occultans A. — 3, 3 annis pasti. — 4, 2 quod coelum capiens A. — 5, 1 comitatus A, tunc mutatus C.

265. De sancto Huberto.

1. Christi praesul egregie,
Huberte beatissime,
Cujus discurrunt merita
Per ampla terrae spatia.

2. Fac ad Christum pertingere
Tuae preces familiae,
Quae multis nexa vinculis
Ad te suspirat humilis.

3. Ut divinam clementiam
Sibi reddas propitiam,
Ne sit, pater, ulterius
Tuis orba virtutibus.

4. Ergo bone tu pontifex,
Curationum opifex,
Qui cunctis te rogantibus
Fidelis ades medicus;

5. Hanc medelam familiae
Da in utroque homine,
Ut post mundi curricula
Tecum simus in patria.

6. Hoc summa praestet deitas,
Patris natique unitas
Sanctoque cum spiramine
In sempiterno tempore.

Brev. ms. S. Waldetrudis Monten. saec. 15. Cod. Duacen. 164. — 6, 2 natique unii Hs.

266. De sancto Hugone.

Ad Vesperas.

1. Mysterium eximia
Deitatis signaculum
Hugonem dat Valentia,
Vitae valentis speculum.

2. Sola fruens haec gratia
Profert Hugonem flosculum,
Castri novi militia
Castris Dei primipulum.

3. Vates post ab infantia
Hugo petit avunculum,
Lugdunensis ecclesia
Doctrinae praestat pabulum.

4. Mysterium hac nescia
Tanti fructus manipulum
Ad se trahit Burgundia
Hugonem, Christi famulum.

5. Sit trinitati gloria,
Unitatique cummulum
Honoris et praeconia
Demus per omne saeculum.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). Der Text dieses und des folgenden Hymnus ist schlecht überliefert. Derselbe findet sich, womöglich noch schlechter bestellt, Acta SS. April. I, 47. B. — 1, 1 Magistrum eximium B, wobei eine Silbe und der Reim mit 2, 3 abhanden kommen. — 2, 1 hac gratia B. — 2, 2 flosculis A. — 2, 4 Castri divini primipilum B. — 4, 1 Monasterium hoc messuit B; der absolute Ablativ hac nescia bezieht sich auf das vorhergehende Lugdunensis ecclesia: statt hac nescia mysterii schreibt der Dichter nescia mysterium (nach nescire mysterium), eine im mittelalterlichen Latein häufige Kasusverwechslung.

267. De sancto Hugone.

Ad Laudes.

1. Vere plenus munditia
Cisterciensem titulum
In domo Miratoria
Sumit Hugo vestibulum.

2. Pastores dant consilia,
Leoncelli capitulum
Firma fratrum concordia
Offert Hugoni baculum.

3. Sic magni providentia
Bona vallis hunc calculum
Sibi sumit ex filia,
Hugonis gubernaculum.

4. Rogemus, ut de patria
Gratiae mittat rivulum,
Quibus digna praesentia
Juge monstrat miraculum.

5. Sit trinitati gloria.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). — Acta. SS. l. c. B. — 1, 2 Cisterciensi titulum B. — 1, 3 domo Muratoria B. — 1, 4 Subit Hugo B. — 2, 2 Liunceli B, Notre Dame de Lyncell oder Leoncel. — 3, 1 Sic magi providentia A; Sic magni viri provident B, unter Beseitigung des Reimes. — 3, 3 filia, das Tochterkloster. — 4, 1 Rogemus te de patria A. — 4, 2 Gratiarum B.

268. De sancto Jacobo.

Ad Vesperas.

1. Pangat nostra Deo carmina cohors
Et laudum recinat vota ferendo,
Cum concentibus in Jacobi festo
Resultet, recolat voce sonora.

2. Qui dux Hispaniae numine divo
Collatus populis primus nec amplis,
Cujus festa dies splendet in arvis,
Laeta plebs reboat cantibus almis.

3. Quem Christus Dominus pontificatu
Extollit socians laetus alumnum,
Nec non martyrio consecrat almum,
Plebi Hesperiae dando patronum.

Brev. ms. Viennense saec. 15. Cod. Parisien. 1285. — 1, 2 laudum retinet vota. — 1, 3 Cum consimis Jacobi festa. — 1, 4 Resultet nec et recolit voce. — 2, 4 plebs roborat. — 3, 1 Dominus ponti; ficatu ergänzt.

269. De sancto Jacobo.

Ad Laudes.

1. Odas phalanx persplendida
Christo resultet praedia,
Cum Jacobi solemnia
Recoluntur solemnia.

2. Qui se vocantem Dominum
Sequens mente promptissima
Mundi reliquit omnia,
Patrem simul et retia.

3. Cujus amore nominis
Amplectens mortem corporis
Victor polorum cuneis
Adnexus est sidereis.

4. Sit trinitati gloria,
Qui Jacobum consortia
Transvexit ad aetherea
Per cuncta semper saecula.

Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisien. 1285.

270. De sancto Jacobo.

Ad Vesp. et Noct.

1. Felix mater ecclesia
Tali tuta munimine
Nec non felix Hispania
Tanto lustrata lumine.

2. Quae vivi cedis radio,
Plebs penitus indocilis,
Laetaris nunc suffragio
Mortui fortis pugilis.

3. Laetaris novo cantico
Matutino et vespero,
Concento plaudis coelico
Claro refulgens Hespero.

4. Ex loco, ubi nascitur,
Typum gerit Luciferi,
Sed tumulo, quo clauditur,
Lucem assumit Hesperi.

5. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Qui Jacobi praesidio
Mundo succurrat perdito.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530.

271. De sancto Jacobo.

Ad Laudes.

1. Exsultet dignis gaudiis
Tota mater ecclesia
Et Jacobi praeconiis
Devota cantet carmina.

2. Johannis frater scribitur
Ex utrisque parentibus
Eisque fides mergitur
Et gaudiis perennibus.

3. Conjunctus Dei filio
Affinitate sanguinis
Locatur coeli solio
Dignus honore culminis.

4. Pro passionis poculo
Coeli consendit solium,
In ipsiusque tumulo
Patet juge praesidium.

5. Sit laus patri cum filio.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530.

272. De sancto Jacobo.

Ad Vesperas.

1. Gloriosa dies ista
praesentat laetitiam
Et illustret luce vera
praesentem ecclesiam,
Gaudiorum et salutis
ministrans materiam.

2. Hac piscator ille magnus
a captura piscium
Linquens patrem, linquens rete,
sed ditans officium
Ad coeleste de terreno
transit mercimonium.

3. Jam non hospes, sed colonus,
sed confessor curiae,
Quam venustat et delectat
lux aeternae gloriae,
Sit adjutor et protector
praesentis familiae.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque,
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. ms. Dervense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Calmontan. 30. A. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb. 303. B. — Brev. ms Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII^{0} 24^{2}. C. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. add. saec. $^{15}/_{16}$ D. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. add. saec. $^{15}/_{16}$. E. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. F. — 1, 1 Gloriosa fides Jacobi F. — 1, 2 Jacobi per gratiam C. — 1, 3 Nos illustret C. — 1, 4 et sanctam ecclesiam. — 2, 1 Hic piscator C.

273. De sancto Jacobo.

Ad Nocturnum.

1. Solemne nobis gaudium
Reduxit ordo temporum,
Quo per beatum Jacobum
Lustratur plebs fidelium.

2. Hic evocante gratia
Liquit patrem et retia
Et est secutus Dominum
Piscator factus hominum.

3. Hunc claritatis visio,
Sancta transfiguratio,
Cum se tribus exhibuit,
Unum de tribus habuit.

4. Hunc et testem agoniae
Fons assumpsit clementiae,
Quando filius hominis
Sudavit guttas sanguinis.

5. Hic per Herodis gladium
Vitae percurrens stadium
Et muneratus bravio
Coeli sedet in solio.

6. Regi superno gloria,
Qui verbo fecit omnia,
Quem videre cum gratia
Mereamur in gloria.

Brev. ms. Dervense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Calmontan. 30. A. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb. 303. B. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 24². C. — Hymn ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. add. saec. $^{15}/_{16}$. D. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. add. saec. $^{15}/_{16}$. E.

274. De sancto Jacobo.

Ad Vesperas.

1. Exsultet coeli curia,
Laetetur et ecclesia
Celebrando solemnia
Jacobi cum laetitia.

2. Afflictis dat solatium,
Doloribus remedium
Datque cunctis consilium
Inconsultisque gaudium.

3. O pater benignissime,
Apostole sanctissime,
Tibi digne psallentia
Corda reple laetitia.

4. Et cum judex advenerís,
Separa nos a miseris,
Vitae rependens bravium
In choro gratulantium.

5. Deo patri sit gloria,
Cujus gaudet praesentia,
Sanctus Jacobus hodie,
Fulgens palma victoriae.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisien. 13236.

275. De sancto Jacobo.

Ad Vesperas.

1. Annue gregi, pater benignissime,
Tibi canenti voce devotissima,
Ut, quae peccando graviter commisimus,
Culpas condones poscentibus veniam.

2. Solve ligatos peccatorum vinculis,
Reddens captivis dragmam prius perditam,
Ut tecum laeti gratulemur pariter
Associati sanctorum collegio.

3. Salva clamantes, Christe, tibi famulos
Precibus horum, quos credimus judices
Esse futuros in die judicii,
Cum quibus regnat laureatus Jacobus.

4. Sit tibi virtus, laus et jubilatio,
Honor, potestas, decus et imperium,
In trinitate qui manes omnipotens
Et nunc et semper per aeterna saecula.

Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 1051. — 1, 3 Ut qui. — 2, 1 Dole ligatos. — Mel.: Annue, Christe, saeculorum Domine.

276. De sancto Jacobo.

Ad Nocturnum.

1. Exsultet chorus omnium
In coelo gratulantium,
Recolendo solemnia
Sancti Dei praeconia.

2. Laetetur terra gaudiis
Apostoli suffragiis,
Laeta manus operibus,
Sanctis ejus virtutibus.

3. Desolatis dat gratiam,
Piis auget substantiam,
Revocat ad solatia
Vitae precantum taedia.

4. Salutem dat corporibus
Morbis obsessis gravibus,
Restaurat multis perdita
Cum fide sibi credita.

5. Quaeramus corde sedulo,
Nos solvat a periculo,
Cum Christus judex venerit
Et consors illi fuerit.

6 Praestet beata trinitas,
Concedat simplex unitas,
Ut Jacobi suffragiis
Coeli fruamur gaudiis.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisin. 13236. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 1051. B. — 1, 2 In choro B. — 2, 3 Laeti miris operibus B. — 2, 4 Factis ejus B. — 4, 4 Confide B. — 6, 1 Praesta B. — 6, 2 Concede B.

277. De sancto Illidio.

In Vesp. et Noct.

1. Summe sacerdos, rector et custos,
Dux Arvernensis, praesul insignis,
Vernula Dei, sacer Illidi,
Pangimus tibi.

2. Praesens submissa tibi caterva
Te patrem suum amando pium
Consona voce, devota mente
Afferat laudes.

3. Alta, profunda simul et plana,
Quaeque creata sunt et formata,
Concinant melum, recolant sanctum,
Te laude dignum.

4. Satanas exit et tibi cedit,
Prosilit claudus, et videt caecus,
Et puer sanus febriens laetus
Suos dat cantus.

5. Aeger et inops, debilis, impos,
Viduae necne quidquid est omne,
Ad tuas laudes dent simul voces,
Tu, sancte, preces.

6. Gloria Deo laus sitque nato,
Flamini sancto honor in aevo,
Qui regis sceptrum possidens mundum,
Rex saeculorum.

Brev. ms. S. Victoris Massilien. anni 1497 (Privatbesitz). — 1, 2 Advernensis. — 2, 4 laude. — 4, 2 claudus eum det caecus. — 4, 3 sanas. — 4, 4 det. — 5, 1 debilis impos.

278. De sancto Illidio.

Ad Laudes.

1. Jam carmine mellifluo
Odas persolvat concio,
Illidium sic recolat,
Ut mundo clarum faciat.

2. Est sanctitate nobilis,
Virtutibus et meritis,
Natam regis Treverici
Liberavit a daemone.

3. Patrat mira quotidie
Christi praesul juvamine,
Agat, ut simus caelibes
Ejusque doni compotes.

4. Sancte tu praesul, releva,
Quos premit caro terrea,
Ut nos tuo suffragio
Tecum jungamur Domino.

5. Laus patri sit cum filio,
Honor et jubilatio,
Atque sancto paraclito
Perpes sit veneratio.

Brev. ms. S. Victoris Massiliens. anni 1497 (Privatbesitz). — 2, 3 tremeriti Hs.; vgl. Acta SS. Juni I, 418.

279. De sancto Imerio.

1. Antistitis magnifici,
Confessoris Imerii
Praeclara mirabilia
Promant justa praeconia.

2. Quamquam ejus miracula
Sit dicere non omnia,
Unum tamen de milibus
In nostris sonet vocibus.

3. Hujus patris ad tumulum
Jacenti caeco strenuum
Lumen reduxit frigida
Lympha cadens de situla.

4. A magnis plumbum traditum
Argentum fit mirificum,
Appensa lance quotiens,
Crevit et libra totiens.

5. Claudos curat et debiles
Divino nutu, daemones,
Morbos depellit noxios,
Caecos adornat oculos.

6. Surdis auditus redditur,
Mutorum lingua solvitur,
Artus parent officiis
Praefati sancti meritis.

7. Istius, Deus, precibus
Da veniam sceleribus,
Nobis succurre miseris
Et salva patrociniis.

8. Sit tibi laus et gloria,
Decus, perpes victoria,
Honor, virtus ingenito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Romano Augustin. saec. 16. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 165. — 2, 2 Lücke von vier Silben; non omnia ergänzt. — 4, 1 A magnus. — 4, 3 Appense. — 5, 1 und 2 sind umgestellt. — 8, 4 Et fehlt.

280. De ss. Innocentibus.

1. Sancti infantes martyres
De plebe Bethlemitica,
Jesum laudemus Dominum
Pro vestra tanta gloria.

2. Magi Herodi nuntiant
Stellam, quam nuper viderant,
Callide habet quaerere,
Quem vellet interimere.

3. Illi deludunt impium
Nec nuntiant mysterium,
Tyrannus sic infremuit
Delere cunctos teneros.

4. Vox in Rama audita est,
Ululatus gravissimus,
Natos matribus auferunt,
Occiduntur pro Domino.

5. Rachel plorans nam filios
Consolarique noluit,
Cum morta erant viscera,
Quae cernit in coelestibus.

6. O magnumque mysterium
Et tam pium martyrium,
Infantes colla ambiunt,
Honorem sacrum sentiunt.

7. Jesus portatus Aegyptum,
Fugerat regem pessimum,
Infans infantem suscepit,
Quia dilexit martyres.

8. Ut sub altare Domini
Tempus quiescant modicum,
Dum venit, quod desiderant,
Orent pro nobis Dominum.

9. Praesta, pater piissime.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. — 6, 3 colla lambiunt. — 7, 1 Aegyptus.

281. In Natali Innocentium.

1. Laudet exsultans Dominumque terrae,
Christus insontes vegetans ad astra
Martyres, miris decorans coronis
Munere vitae.

2. Vocibus necdum poterant fateri
Gloriam Christi, moriendo sancti
Fantur et palma renitent triumphi
Laude perenni.

3. Dum putat Christum jugulare natum,
Mactat inbelles pueros Herodes
Hostis, elingues perimens phalanges
Morte cruenta.

4. Agmen infantum gladiis peremptum
Evolat celsum penetrando regnum
Atque post agnum graditur ferentem
Gaudia lucis.

5. Unde condignas referamus odas
Principi Christo pietate summo,
Tanta quo servi capiunt pusilli
Dona salutis.

Brev. ms. Hispanicum saec. 12. Cod. Lond. Add. 30849. — 1, 2 insontens. — 3, 3 elinguis peribens. — Von der Doxologie ist nur der Anfang: „Sit tibi splendor patris atque forma“ vorhanden. Die Handschrift ist nicht mozarabischen Ritus.

282. De sanctis Innocentibus.

Ad Laudes.

1. In hac die solemnitas
Agatur omni populo
In cantico et jubilo
In laude patris omnium.

2. Qua innocentes parvuli
Herodes jussit perimi,
In arce regis superi
Vitae coronam capiunt.

3. Quos nulla culpa polluit
Nec operis nec faminis,
Dirus orbavit gladius
Imperio nequissimi.

4. Infauste rex et impie,
Christum petens occidere,
Regni metu, quod possides,
Cur saevis in innoxios?

5. Te digna petit ultio,
Nam mox necasti proprios
Natos furoris stimulo,
Qui alios occideras.

6. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Diurn. ms. Benedictin. saec. 15. Cod. Parisien. 10530.

283. De s. Johanne Evangelista.

1. Johannis in principio
Verbum fuisse testatur
Et apud Deum et ipsum
Deum, modo caro factum.

2. Qui supra pectus Domini
Arcana verba didicit,
Quem ipse matri virgini
Virginem dedit custodem.

3. In aurum virgas mutavit,
Vilia saxa in gemmas,
Letale bibit poculum
Et evasit periculum.

4. Reddidit vitae mortuos,
Docte vicit haereticos,
Errores cunctos depulit
Et fidem Christi docuit.

5. Laus, honor, virtus, gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. — 1, 4 modo carne factum. — 3, 3 Letabile bibit.

284. De sancto Joseph.

1. O veneranda trinitas,
Jesus, Joseph et Maria,
Quam conjunxit divinitas
Caritatis concordia.

2. Mater, virgo puerpera,
Parit in diversorio,
Cui Jesus sugit ubera,
Gaudet Joseph obsequio.

3. Hic virgo servit virgini
Humili benignitate,
Sed virgineo germini
Ampliori caritate.

4. Magna laus humilitatis
In Joseph, sed in virgine
Major, et in deitatis
Prole laus est in culmine.

5. Hunc humilitatis thronum
Trinis distinctum gradibus
Tantaeque gratiae donum
Nunc extollamus laudibus.

6. Ut humilitatis vitam
Suis sequi suffragiis
Donetur et per gratiam
Aeternis frui gaudiis.

7. Amen dicamus singuli
Huic sacro coetui trino
Laudes canentes servuli
Uni trinoque domino.

Joh. Gersonii doctoris et cancellarii Parisiensis Tertia pars operum Parisiis 1606 p. 128. — Steht hier unmittelbar hinter der Sequenz Ad Joseph mittitur und mit der Aufschrift: „Finis“. Das „finis“ bezog sich in der dem Drucke zu Grunde gelegten Hsch. aber auf die vorhergehende Sequenz; das folgende ist ein Hymnus. Der Druck ist fehlervoll: 2, 2 Facit in diversorio — 3, 3 germini. — 3, 4 Amplius charitate. — 5, 3 Tantoque.

285. De sancto Joseph.

Ad Nocturnum.

1. Joseph, virgo castissime,
Sponse matris dignissimae,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus.

2. Cunctipotentem Dominum
Portas Mariae filium,
Qui non habet initium,
Te habuit nutritium.

3. Coelum replet laetitia
Per te constrictus fascia,
Quem ponis in praesepio,
Patris manet in gremio.

4. Ex illo semper genitus
Tuus putatur filius,
Universum qui condidit.
Se tibi sponte subdidit.

5. Hunc nobis pasci profuit,
A morte nos eripuit,
Pro nobis ipse mortuus,
Et nos per illum vivimus.

6. Joseph, nutritor gloriae,
In hac valle miseriae
Fac nos per tua merita
Satiari in patria.

7. Sit laus patri et filio,
Ex tua sponsa genito,
Sanctoque cum spiramine
In sempiterno tempore.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisien 13244.

286. De sancto Isarno.

1. Diem festum celebremus
in divinis laudibus,
Quo beatus est Isarnus
exemptus praesentibus
Et optatis praesentatus
Domini conspectibus.

2. Vir fuit hic singularis
et gregis dominici
Pastor, vita et sermone
clarus et miraculis,
Unicum decus in Christo
sui paene temporis.

3. Quem beate nunc viventem
in coelesti gloria
Et a Christo obtinere
posse, quae vult, omnia
Crebra, quae per eum fiunt,
testantur miracula.

4. Hujus pio complacatus,
bone rex, precamine,
Jesu redemptor, ab omni
culparum gravamine
Absolutos nos concede
innocenter vivere.

5. Quo tui fidelis servi
fulti patrocinio
Ac de mundi procellosi
eruti naufragio,
Tuo mereamur semper
frui patrocinio.

6. Trino Deo simplicique
sit aeterna gloria,
Unus honor, una virtus,
eadem potentia,
Qui vivit et regnat Deus
per omnia saecula.

Brev. ms. S. Victoris Massilien. anni 1497 (Privatbesitz). — Das doppelte patrocinium 5, 2 und 5, 6 findet sich noch in den späteren Proprien, ist also kein Fehler der Handschrift.

287. De sancto Ivone.

Ad Vesperas.

1. Aeternae vitae praeconis,
Promat Ivonis cantica
Plebs cum coelicis civibus
Modulantibus coelica.

2. Prima vox sanctae Mariae
Regem collaudat gloriae,
Qui celebranti adfuit
Et cunctis clarus patuit.

3. Hinc angeli, archangeli
Carmen canunt Deo caeli,
Cui reddito caputio
Hinc steterunt in prandio.

4. Prophetae poetae merita
Laudant, qui dixit in vita,
Eremum de eremita
Quod exiret, et fit ita.

5. Apostoli jubent coli
Regi poli solemnia,
Qui edens turpis assistens,
Hic fit recedens gloria.

6. Martyres vires corporis
Et laboris certamina
Laudant et cantant cum eo
Nunc coram Deo carmina.

7. Confessores juxta mores
Huic honores crescere
Volunt, colunt actu pari,
Hunc gloriare munere.

8. Virgines post tot ordines
Nolentes fines transgredi
Canunt Deo, sunt cum eo
In aethereo comedi.

9. Laudes, plebs omnis, dicito
Deo patri ingenito
Cum suo unigenito
Et flamini his unico.

Brev. ms. S. Sepulchri saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 186. A. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisin. 1032. B. — Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. C. — 7, 4 Huic gloriam manere C.

288. De sancto Ivone.

Ad Nocturnum.

1. Divo Ivoni cantica
Det catholica natio,
Constat in coeli curia
Grata ratificatio.

2. De nobili prosapia
Proles sancta propagatur,
Ita matri per somnia
Voce data prophetatur.

3. Pueritia stupuit,
Cernens hujus initia,
Dum virtutibus studuit
Ejusque cavit vitia.

4. Surgit ut sol adolescens
Nullis umbratus nebulis,
Labem peccati nesciens,
Carnis carens piaculis.

5. Scholis Paris Orlenisque
Juvenis proficiscitur,
Ubi juris utriusque
Peritiam nanciscitur.

6. Qui litium forensium
Judex datus deifice,
Parat dare rationem
Christo probatam judice.

7. Da, Christe, nos tanti patris
Supplici patrocinio
Pace data cum beatis
Perfrui contubernio.

Legenda ms. Treconensis saec. 15. Cod. Parisien. 1148. — 6, 1 Menstium forensium Hs.

289. De sancta Katharina.

Ad Vesperas.

1. In Katharina virgine
Laudemus sponsum virginum,
Qui suo fuso sanguine
Redemit genus hominum.

2. Claris orta natalibus
Claris refulget moribus,
Et per virtutes inclitas
Geminatur nobilitas.

3. Haec Christi fidem adstruit,
Idola vana respuit,
Quos prius hostes habuit,
Doctrinis sacris imbuit.

4. Cedunt doctores virgini
Artis obliti pristinae
Nec non ignis voragini
Dantur pro Christi nomine.

5. His offensus Maxentius
In sanctam saevit acrius.
Fame, vinclis et verbere
Torquens eam in carcere.

6. Custos adest angelicus,
Cibus offertur coelicus,
Dumque rotis affligitur,
Plebs furens flammis uritur.

7. Hinc jubente Maxentio
Triumphans caesa gladio
Ope plebis angelicae
Jacet in Sina vertice.

8. Sit laus patri ingenito,
Sit nato, sit paraclito,
Quem Katharina coluit,
Per quem coronam meruit.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Bisuntin. 63. A. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 672. B. — Brev. ms. saec. 15. Cod. Bisuntin. 68. C. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. D. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisin. 10487. E.

290. De sancta Katharina.

Ad Completorium.

1. Coelestis concio
Pangat cum gaudio
In his Katharinae
Festis eximiae.

2. Sponsa creatoris
Sub spiritus sancti
Vixit disciplina
Virtute miranda.

3. Gemma claritatis,
Norma sanctitatis,
Flos pudicitiae,
Clemens virginale.

4. Haec dies gaudii,
In qua viva Christi
Offertur hostia
Sanguine sacrata.

5. Virgo gloriosa,
Omni laude digna,
Te ore laudamus,
Corde confitemur.

6. O virginum gemma
Cunctis veneranda,
Votis nostris, pia,
Adsiste parata.

7. Dulce te laudare,
Bonum te amare,
Transfer nos, o pia,
Tecum in patria.

8. Sit laus Deo patri,
Nato, spiritui,
Virgini gloria
Per aeterna saecla.

Brev. ms. Cisterciense Gallicum saec. 13. Cod. Casanaten. A. IV. 47 (1465). add. saec. 14.

291. De sancta Katharina.

Ad Vesperas.

1. Lux annua revolvitur,
Festa dies recolitur,
Laus debita persolvitur
Katharinae memoria.

2. Hac die coepit vivere,
Qua visa est deficere,
Per corporis martyrium
In sinum ducta Abrahae.

3. Per corporis martyrium
Nequam vicit Maxentium,
Ad coeli gaudens solium
Katharina transvecta est.

4. O quanta fulget gloria
Viventium in patria,
Honore bino fruitur,
Res simplex licet fuerit.

5. Per te fiat propitius
Nobis pater et filius,
Cum quibus vivit spiritus
Aequalis in potentia.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M. 21. A. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Turonen. 154. B. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (787) C.

292. De sancta Katharina.

Ad Laudes.

1. Virgo pro Christo moritur,
Martyr coelum ingreditur,
Sic martyris et virginis
Binis ornata floribus.

2. Est ergo dies gratiae,
Dies plena laetitiae,
Dies impensa veniae
Hujus beatae virginis.

3. Adsit sibi adstantibus,
Laudes suas canentibus
Et de supernis sedibus,
Quibus regnat, nos audiat.

4. Regnat, quia regina est,
Regis Christi nam sponsa est,
Sed, o felix commercium,
Morte sumpsit imperium.

5. O Katharina domina,
Virgo clemens et regina,
In his tuis solemniis
Nos purga cunctis vitiis.

6. Per te fiat propitius
Nobis pater et filius,
Cum quibus vivit spiritus
Aequalis in potentia.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M 21 A. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Turonen. 145. B. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (787). C. — 3, 1 nobis adstantibus C.

293. De sancta Katharina.

Ad Vesperas.

1. Katharinae solemnia
Nobis ministrant gaudia,
Ad decus sacrae virginis
Odas promamus carminis.

2. Cujus pater, rex Graeciae,
Mentem secutus filiae
Illam doceri voluit,
Alexandriae studuit.

3. Fonte lota baptismatis
In Christi forma dogmatis
Fulget ut sidus radians,
Se Christianam glorians.

4. Imperator Maxentius
Hac visa factus anxius
Petit ejus conjugium,
Fugit illa Maxentium.

5. Ad disputandum venerat,
Docta doctores superat,
Fidem victos edocuit,
Inde tyrannus fremuit.

6. Regi sine principio
Sit laus una cum filio,
Adsitque nobis coelitus
Charisma sancti spiritus.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. B. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 278. C. — 2, 1 rex gratiae C. — 2, 4 Alexandria B.

294. De sancta Katharina.

Ad Laudes.

1. Katharinam in carcere
Christus dignatur visere,
Comitatus virginibus
Ut stellae radiantibus.

2. Per hanc uxor Maxentii
Militesque Porphyrii
Conversi cum Porphyrio
Christi dantur consortio.

3. Haec in tormentis strenua
Christo flectebat genua,
Tandem truncata gladio
Coronatur martyrio.

4. Manus corpus angelica
Terra sistit Arabica,
In monte Sina conditur,
Oleum inde nascitur.

5. Regi sine principio.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. B. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) C. — 1, 2 dignatus est visitare A. — 1, 3 Comitatur BC. — 1, 4 Ut stella B; Ut sol radiantibus A. — 2, 4 fehlt B. — 3, 1 Nec in tormentis B; strenua fehlt B. — 4, 1 Manu corpus C. — 4, 2 Terra locat B.

295. De sancta Katharina.

In Vesperis.

1. Hymnum laudis referendo
Jucundetur ecclesia,
Dulci cantu recolendo
Katharinae solemnia.

2. Katharina rege patre
Stirpe nitet generosa
Et regina nata matre,
Hinc et inde gloriosa.

3. Pretiosam carne, corde
Genus, mores reddiderunt
Et ab omni mundam sorde
Pretiosam probaverunt.

4. Ut se virgo mundam mundo
Sponsam sponso copularet,
Mundum sprevit, et in mundo
Vincens mundum triumpharet.

5. Post triumphum assumitur
Angelorum obsequio,
Monte Sina sepelitur
Eorundem officio.

6. Hinc sit uni trinitati
Majestas et dominium
Atque trinae unitati
Potestas et imperium.

Brev. ms. Belnense saec. 15. Cod. Divionen. 112. A. — Brev. Belnense imp. Gebennae 1517. B. — In 1. Vesperis A; in 2. Vesperis B.

296. De sancta Katharina.

Ad Matutinum.

1. Graeciae gemma clara luce fulgida,
Ad instar rubri carbunculi splendida,
Smaragdus nitens fide semper vivida,
Pudoris sancti margarita candida.

2. Aureum sidus coeli splendens lumine,
Aeterno soli consecrata numine,
Regia virgo, Katharina nomine,
Jungitur sacro nexu tibi, Domine.

3. Commenda, Deus, hujus gemmae gratiam,
Donet ut nobis sempiternam gloriam,
Effectu probet dans nobis laetitiam,
Quod virtus ejus afferat justitiam.

4. Regalis stirpis exorta prosapia,
Illustris viri, regis Costi filia,
Genere clara, clarior scientia
Clarissimaque sanctitatis gratia.

5. Ora pro nobis, beata Katharina,
Mentibus aegris confer medicamina,
Salutis dona dent tua precamina
His, qui dant tibi laudis modulamina.

6. Gloria Deo patri sit ingenito
Ejusque nato decus unigenito,
Honor et virtus inclito paraclito,
Praeclara voce, chorus noster, dicito.

Brev. ms. Belnense saec. 15. Cod. Divionen. 112. A. — Brev. Belnense imp. Gebennae 1517. B. — 1, 2 rubri fehlt A. — 3, 4 aufferat A.

297. De sancta Katharina.

Ad Laudes.

1. Inclitae virginis sacra solemnia
Psallamus pariter dulci symphonia,
De cujus laudibus haec laudum cantica
Decantat nunc ecclesia.

2. Virgo Katharina, virginum gloria
Et decus martyrum, cujus memoria
Celebris permanet per saecla omnia,
Obtine nobis gaudia.

3. Fer salutis opem cunctis hominibus
Tuae victoriae rite memoribus,
Advocata nostra divinis legibus,
Defende nos ab hostibus.

4. Nam jure creditur, sis legis perita,
Quae montem incolis, quo lex est dedita,
Quae legis coelestis scis et legis scita
Tractans de coelesti vita.

5. Rosa victoriae, lilium pudoris,
Mirandi speciem exhibes decoris,
Spirans gratissimi gratiam odoris,
Flos electe, flos honoris.

6. Gloria Deo sit, patri ingenito
Ejusque filio laus unigenito,
Honorque inclito semper paraclito,
Psallendo, chorus, dicito.

Brev. ms. Belnense saec. 15. Cod. Divionen. 112. A. — Brev. Belnense imp. Gebennae 1517. B. — 6, 2 ejus fehlt A; laus fehlt A. — 6, 4 chorus noster dicito A.

298. De sancto Kentigerno.

Vesp. et Noct.

1. Fulget clara festivitas,
Qua Kentigerni dignitas
Sacri fertur ad sidera
Post purae carnis funera.

2. Hic vitae vir eximiae,
Flos gentis, lux Laudoniae,
Jubar ardens, stirps regia,
Exsultat nunc in patria.

3. Gaudet Glasgu praecipue
Tanto pollens sub praesule,
Tellus jam plaudit Scotica
Sancti cernens insignia.

4. Laetare Loth Laudoniae,
Felix tam sacro germine,
Ornat, venustat nobilem
Totam praesul progeniem.

5. Laus, decus, splendor, gloria
Virtus, honor, victoria
Sint trinitati debita
Per infinita saecula.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509.

299. De sancto Kentigerno.

Ad Laudes.

1. Rex confessorum inclite,
Mundi salus, fons gratiae,
Qui Kentigernum meritis
Sanctis aequasti superis.

2. Hic est palma pontificum,
Scotis honor, spes Britonum,
Gregis amor, laus patriae,
Lampas ardens mirifice.

3. Hic Glasguensis incola,
Christi cultor per omnia,
Prudens, probus, innumeris
Pastor nitens miraculis.

4. Cujus vita continuum
Tota fuit martyrium,
Et saepius pro balneis
Est usus aquis algidis.

5. Ibi degens Davidicum
Dum cecinit psalterium
Ac corpus quatriduano
Macerabat jejunio.

6. Lorica et cilicio
Carnem domavit rigido
Et saepius angelico
Fovebatur eloquio.

7. O Jesu, salus omnium,
Qui tantum tibi famulum
Praeelegisti coelitus,
Ejus nos salva precibus.

8. Patri summo cum filio,
Sancto quoque paraclito
Sit sempiterna gloria
In unitate solida.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509.

300. De sancto Kierano.

1. Alto et ineffabili
Apostolorum coetui,
Coelestis Hierosolymae
Sublimioris speculi

2. Sedenti tribunalibus,
Solis modo micantibus,
Quiaranus sanctissimus,
Sacerdos, virgo, nuntius,

3. Inaltatus est manibus
Angelorum coelestibus,
Consummatis felicibus
Sanctitatum generibus.

4. Quem tu, Christe, apostolum
Mundo misisti hominem,
Gloriosum in omnibus
Novissimis temporibus.

5. Rogamus Deum altissimum
Per sanctorum memoriam,
Sancti Patricii episcopi,
Quiarani praesidium

6. Columbaeque auxilium
Nos defendant, egregia
Ut per eorum merita
Possideamus praemia.

Hymn. ms. Hibern. saec. 10/11. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. E 41. 2. — 2, 3 Quiaramus sanctus. — Auctor des Liedes ist nach Colgan, Trias Thaumaturga p. 472 Columba. Unter den vier von diesem verfafsten lateinischen Hymnen citiert er an erster Stelle den de S. Kierano, aus dem er folgende vier Verse mitteilt:

Quantum Christe apostolum
Mundo misisti hominem,
Lucerna hujus insulae
Lucens luce(rna) mirabilis,

von denen die beiden ersten = 4, 1 u. 2 unseres Hymnus sind. Woher er diese Verse genommen, giebt er ebensowenig an als die Gründe, weshalb er diesen Hymnus nicht abgedruckt.

301. De sancto Laurentio.

Ad Vesperas.

1. Psallat chorus in honorem
Levitae Laurentii,
Qui tormentum et furorem
Debacchantis Decii
Superavit ob amorem
Christi, Dei filii.

2. Pro thesauris, quos habebat
Absconsos ecclesiae,
Hunc torqueri faciebat
Saevus Caesar impie,
Hippolyti qui psallebat
Commissus custodiae.

3. Ne thesauri convertantur
In usus increduli,
Pauperibus erogantur
Manu viri seduli,
Cujus virtus non mutatur
In saeculum saeculi.

4. Et ne lumen abscondatur
Positum sub modio,
Dum vinctus incarceratur
Una cum Laurentio,
Lucillus illuminatur
Signo crucis praevio.

5. Post haec miro decoravi
Hunc Deus miraculo,
Hippolytum baptizavit
Clausus in ergastulo,
Unde Caesar hunc artavit
Plumbo, virgis, baculo.

6. Cujus ergo memorantes
Actus et martyrium,
Supplicemus implorantes
Ejus patrocinium,
Ut reducat nos errantes
Ad coeli palatium.

Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479.

302. De sancto Laurentio.

Ad Vesperas.

1. Gloriosi Laurentii
Laeti laudes attollimus,
Quem per tormenta Decii
Laureatum agnovimus.

2. Dum thesaurus exquiritur
Dispersus in pauperibus,
Martyr carcere clauditur
Signis fulgens insignibus.

3. Quibus visis Hippolytus
Credit et cum familia,
Hinc tormentis expositus
Ridens pertransit munia.

4. Demum assatur ignibus
Invicta manens hostia
Sicque fragrans odoribus
Receptus est in gloria.

5. Laurenti, martyr inclite,
In fide manens stabilis,
Laudibus tibi subditae
Plebi esto placabilis.

6. Lauri viror constantiam
Signat in Christi milite,
Sed fructus abundantiam
Pietatis exhibitae.

7. Granum sinapis teritur
Fragrat odor mirabilis,
Non cedit, quo plus caeditur,
Sed permanet immobilis.

8. Inflammato interius
Sancti spiritus flamine,
Rorem praestant exterius
Prunae vernantes sanguine.

9. Sit laus patri et filio
Cum utriusque flamine,
Qui nos mundans a vitio
Ornet virtutum culmine.

Brev. ms. Nivernense saec. 15. Cod. Dolen. 41.

303. De sancto Laurentio.

1. Felix sancte o Levita,
Christi martyr inclite,
In hoc festo nos fac ita
Christum et te colere,
Ut merita adquisita
Fruamur sub flamine.

2. Tu flos decusque martyrum
Laurenti agonista,
Rubens veluti rosarum
Sanguine veste mista,
Undo chorus coelestium
Congaudet die ista.

3. Congaudentes occurrentes
Ad tua solemnia
Mente pura et secura
Consequantur praemia,
Redde laetos et jucundos
In optata gloria.

4. O vere digna hostia,
Verum sacrificium,
Dum insuper craticula
Passus es incendium,
Patens usque ad viscera,
Christo reddens spiritum.

5. Levitarum caput carum,
Honor et lux omnium,
Salus pia, cunctis via
Ad coeli palatium,
Tu gaudere nos fac vere
In terra viventium.

6. Et fac tuis sacris fusis
Meritis et precibus,
Ad quem cuncti fide juncti
Devote confugimus,
Ut delicta sint oblita
Nec damnari possimus.

7. Laus, honor sit altissimo
Et perennis gloria,
Una patrique filio,
Qui continet omnia,
Ac inclito paraclito
Per aeterna saecula.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. — 6, 1 Et hoc tuis.

304. De sancto Laurentio.

Ad Vesperas.

1. Jam martyris festa dies
Laurentii fulget alma.
Cujus vita, mors et palma
Corruscant ut meridies.
2. Cum filius almae lucis,
Nox illius non obscura,
Erat illi nocte cura
Lumen Christi dare lucis.
3. Hic Hispanis parentibus,
Virtutibus emicabat,
Pauperibus erogabat
Jesu Christo parentibus.
4. Christi miles viriliter
In crate remissus ignis,
Emicuit alme signis,
Vultu dicens viriliter:
5. Ecce latus, si tu possis,
Carnis assae, miser, ante,
Jesu Christo miserante
Plus patiar, quam tu possis.
6. Intrepide per cor mentis
Super prunae craticulam
Sequens Christi senticulam
Vicit deos in tormentis.
7. Miro modo et devoto
In canticis Deo celsis
Decantabat in excelsis
Cruciatus tali voto.
8. Mausoleo Romae pulchro,
Cum esset vir tam politus,
Justinus et Hippolytus
Posuerunt in sepulchro.
9. Deifica sic virtute
Per tormenta laureatus
Delet nostros jam reatus
Jesu fruens hic virtute.
10. Sit gloria Deo patri,
Sit filio laus inclito,
Honor, virtus paraclito,
Sint gratiae Jesu matri.

Hymn. ms. S. Laurentii Lausannensis saec. 13. Cod. Lausannen. V 1184. add. saec. 15. — 3, 2 In cratere missus Hs.

305. De sancto Laurentio.

Ad Laudes.

1. Christi miles, congaude de
Tantae palmae victoria,
Triumphantis historia,
Fratres, omnes congaudete.
2. Hispaniae stirpe natus,
Verbis doctus hic Latinis,
Profluebat in divinis
Baptizatus et renatus.
3. A primaevo suae vitae
Per fervorem sacrae mentis
Pullulabat incrementis,
Sicut palmes fert a vite.
4. De thesauris et pretio
Subveniens pauperibus
Diris fuit verberibus
Captivatus a Decio.

5. Super cratem, rogum missus
Corruscabat vir insignis
Virtutibus atque signis,
Jesu Christo recommissus.

6. Cum redderet caecis visum
Per virtutem sanctae crucis,
Suffocatus crate trucis
Raptus est in paradisum.

7. O Laurenti, pater alme,
Impetrando sacrum numen
Redde nobis Christi lumen
Pro finali causa palmae.

8. Sint gratiae deitati
Laurentii pro meritis,
Ut nos purget demeritis,
Hymnum damus trinitati.

Hymn. ms. S. Laurentii Lausannensis saec. 13. Cod. Lausannen. V 1184. add. saec. 15. — 1, 1 congaude te Hs.

306. De sancto Laurentio.

In 1. Vesperis.

1. Laetetur hodie tellus Hispaniae,
De cujus finibus atque progenie
Natus Laurentius, miles ecclesiae
Et testis fidelissimus.

2. Hunc dum cognosceret papa praehabitus,
Quod bene ageret et juste penitus,
Motus ut faceret fuit divinitus
Suum archidiaconum.

3. Tandem persequitur Sixtus a Decio
Et morti traditur ejus imperio,
Et tunc committitur sancto Laurentio
Thesauri distributio.

4. Hic totum tribuit Christi pauperibus
Nilque retinuit in suis usibus
Ipsisque abluit propriis manibus
Pedes cum pedis osculo.

5. Post haec affligitur servus martyrio,
Dum flammis uritur pro sacrificio,
Lactus accipitur in Christi gremio,
Quo fruitur cum gaudio.

6. Laudetur bonitas superni numinis
Er vera caritas Dei et hominis,
Cum quibus habitas, victor certaminis,
Per infinita saecula.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 1, 2 progenitus.

307. De sancto Laurentio.

Ad Nocturnum.

1. O martyr beatissime,
Laurenti, nostras hodie
Laudes referre satage
Christo, quibus nos protege.

2. Christi miles egregius
Et levita Laurentius
Probatur, ut sublimius
Animetur, ut fortius.

3. Probatus fit alacrior
In fide ac robustior,
Unde meruit psallere:
Noli me derelinquere.

4. Post cantum hic vult legere,
Dum visitatur verbere,
Tunc coepit mox clarescere
Ut lux in orto sidere.

5. Visitatus non doluit
In poenis nec abhorruit,
Sed cruciari maluit,
Dum seipsum exhibuit.

6. O quam dulcis constructio
Fuit exinanitio
Ejus, dum pro incendio
Redditur retributio.

7. Summo patri cum filio
Sit laus et jubilatio
Una cum sancto flamine
Et martyris certamine.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532.

308. De sancto Lazaro.

Ad Vesperas.

1. Lux prima missa Galliae,
Praesul Massiliensium,
Fulget tecum, lux gloriae,
Christe, redemptor omnium.

2. Amoris tui gratia
Praeclaro dignis vocibus
Psallant mentes, praecordia,
Exsultet coelum laudibus.

3. Zelo solerti praedicat
Gallis Christi praeconia
Lazarus, quibus vendicat
Beata nobis gaudia.

4. Almus quem privilegio
Extollit amicitiae
Proprio testimonio
Splendor paternae gloriae.

5. Rursus mortem non horruit,
Quam gratis subit iterum
Pro te, quem fide coluit,
Conditor alme siderum.

6. Universis languentibus
Confert salutis opera
Obtinens se petentibus
Aeterna Christi munera.

7. Sit patri laudum ratio,
Sit nato amor debitus,
Quo ut purgentur vitio,
Veni, creator spiritus.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. — Akrostich: Lazarus.

309. De sancto Lazaro.

Ad Nocturnum.

1. Almum lumen, summum numen,
Sis nobis vitae praestitor
Prece sancti hujus tanti,
Aeterne rerum conditor.

2. Marthae frater hic, quem ater
Eventus Orco condonat,
Prodit foris, dum factoris
Vox clara, ecce, intonat.

3. In odorem et amorem
Vocantis currit proprie,
Sic mors cedit, lux succedit
Jam lucis orto sidere.

4. Coelo latum, vitae datum,
Ubi pax, lumen, requies,
Probant signa laude digna,
Christe, qui lux es et dies.

5. Ultro mortem subit sortem
Mercato vitae pretio,
Carus hospes tecum sospes,
Jesu, nostra redemptio.

6. Sit laus Deo et in eo
Mens jucundetur intime,
Te cernamus, ut optamus,
Lucis creator optime.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. — 1, 1 Alme lumen. — 5, 1 Ultio mortem. — Acrostich: Amicus.

310. De sancto Lazaro.

Ad Laudes.

1. In Christo regeneratus
Cunctis fulget saeculis
Hic, qui stirpe clara natus
Claris fulsit titulis,
Gressus sororum sectatus,
Praeclarus miraculis.

2. Honore miro dotatur
Ista generatio,
Dum factori famulatur
Frequenti obsequio,
Qui nec pasci dedignatur
Horum ministerio.

3. En quam pios indicavit
Hos Christi adhaesio,
Illa unxit, ista pavit,
Hic haeret convivio,
Quem martyrem consecravit
Amantis dilectio.

4. Sorte vitae qui privatum
Redonasti vivere,
Vitae jugi tandem datum
Trino vitae foedere
Sic dotasti decoratum
Virginali munere.

5. Virtus trina, quae corona
Hunc decoras triplici,
Hostem trinum nobis dona
Ejus ope subjici,
Ut solvamus laudum dona
Tibi trino et simplici.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. — Acrostich: Jhesu; das Akrostichon aller drei Hymnen lautet also: Lazarus amicus Jhesu.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE

311. De sancto Leodegario.

Ad Vesperas.

1. Solemnizet laete festa
Plebs Leodegario,
Sua pie canens gesta,
Qui triumpho regio,
Gaudens tormenta funesta
Vicit in martyrio.

2. Natu clarus et virtute
Pro suarum ovium
Creatur pastor salute
Praesectusque labium
Et lingua novum argute
Disserit eloquium.

3. Cujus caput superjectum
Coeli defert radium,
Quo secto corpus erectum
Stat per horae spatium,
Hic nunc sanctus per effectum
Pollet mirabilium.

4. Claudi, caeci, surdi, muti
Quavis aegritudine
Pressi sint, hujus adjuti
Martyris solamine
Restituuntur saluti
Propulso gravamine.

5. Tuam nostris, o patrone,
Vitiorum medice,
Curam vitiis appone,
Morbi causas ejice
Et nos in hac passione
Leni crisi refice.

6. Praestet pater, vera basis,
Hoc natus et spiritus,
Ut affectus nostri vasis
Mundanis medullitus
Vigoretur firma crasis
Ad coelestes aditus.

Offic. ms. S. Leodegarii saec. 16. Codicill. Valerian. 72—42. — Cod. Engelbergen. 314 anni 1372. B. — B enthält nur die erste Strophe mit der Singweise. — 1, 2 Leodegarium A. — 2, 3 Creator A.

312. De sancto Leodegario.

Ad Nocturnum.

1. Gloriam Deo pangimus,
Fortes agones canimus,
Quos pertulit immanius
Beatus Leodegarius.

2. Erutis jam luminibus
Ab impiis hominibus
Linguam praecisam doluit,
Nactus loquelam floruit.

3. Splendens corona coelitus
Ejus caput inradiat,
Expavent corda comitum
Tacta stupore nimio.

4. Sed amputato capite
Corpus erectum constitit,
Spatio horae unius
Rigore mansit vividus.

5. Cujus patroni precibus
Nos foveamur largius,
Nostrorum vincla criminum
Solvantur in perpetuum.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Offic. ms. S. Leodegarii saec. 16. Codic. Valerian. 72—42.

313. De sancto Leodegario.

Ad Vesperas.

1. Proles de coelo pullulat
Matris micans virtutibus,
Quam Christus beatificat
Divinis charismatibus.

2. Sacris imbutus literis
Sacra profert eloquia,
Mundi spretis deliciis
Anhelat ad sublimia.

3. Dum dicit evangelium
Christi martyr perenniter
Fructum tercentenarium
Promeretur alacriter.

4. Datur Leodegario
Aeterna Christi gloria,
In cujus nunc martyrio
Gratulatur ecclesia.

5. Deo patri et filio
Sit sempiterna gloria
Cum spiritu paraclito
Aeterna donet munera.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (787).

314. De sancto Leonhardo.

Ad Vesperas.

1. Iste benignus, mitis atque pius,
Leoque nardus, fortis atque prudens,
Hodie regna coelica superna
Scandere coepit.

2. Qui natus olim genere sublimi
Sorteque cretus gloria parentum,
Steterat super magna sublimorum,
Regnat in Christo.

3. Cujus parentes viri possidebant
Primatum regis Dodonei ductum
Galliae, fonte sublevantis ipsum
Causa parentum.

4. Postquam crementis adolescens factus
Bellica arma renuens ac linquens,
Cito cucurrit ad experti dogma
Sancti Remigii.

5. Doxa feratur dierum antiquo,
Parenti, proli, pneumati sacrato,
Qui sine meta temporum momenta
Cuncta gubernans.

Brev. ms. Minorum (Hibern?) saec. 15. Cod. Angelicus D V 10. — 2, 2 Forteque cretus. — 2, 3 Steterat nuper. — 3, 1 possidebat.

315. De sancto Leontio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Exsulta, Forojulium,
In athletae praeconio,
Tu magis, plebs fidelium,
Ejus tuta suffragio.

2. Adest patris solemnitas,
In hac exsultent filii,
Cordium sit amoenitas
Laus et honor Leontii.

3. Provectus ex discipulo,
Princeps factus ecclesiae,
Duplato jam manipulo
Corona fulget gloriae.

4. Addit secundo tertium,
Cum refulget martyrio,
Meta claudens exsilium
Throno sublimis regio.

5. Laus Christo, regi gloriae,
Qui certantes corroborat,
Dono collato gloriae
Triumphantes corroborat.

Brev. Fovojuliense imp. Taurini 1495.

316. De sancto Leontio.

Ad Laudes.

1. Christo regi pro milite
Solvamus laudum cantica,
Corde, voce concinite,
Vox resonet harmonica.

2. Gaudet mater in filio,
Patrem collaudat filia,
Cum martyri Leontio
Nunc jubilat ecclesia.

3. Ejus triumphus nobilis
Sit nobis in auxilium,
Preces fundat pro filiis
Deo patri per filium.

4. Pacis concedat foedera,
Hostium pellat rabiem,
Terram, pontum et aethera
Placet et regis faciem.

5. Laus Christo, regi gloriae.

Brev. Forojuliense imp. Taurini 1495.

317. De sancto Licerio.

Ad Vesperas.

1. Plaudat polorum curia,
Congaudeat ecclesia
In honore Licerii,
Pontificis eximii.

2. Conseranorum pontifex,
Sui ipsius carnifex,
Carnem suam vigiliis
Domabat et jejuniis.

3. O miranda potentia,
Undique fremit pluvia,
Sed ne tangat Licerium,
Jam vis timebat imbrium.

4. O mens excelsa praesulis,
Exorta lux in populis,
Morsus a cane rabido
Sanatur facitergio.

5. O mira Dei pietas,
O praesulis frugalitas,
Pro panis parte medii
Quinque redduntur integri.

6. O praesul, gemma praesulum,
O felix propugnaculum,
Urbem regebat Tarbiam
Idem pastor et Austriam.

7. Utrisque verbo populis
Fulgebat et miraculis,
Sicut bonus duplicia
Pastor servans ovilia.

8. Ob hoc, praesul eximie,
Pius pro nobis hodie
Funde preces altissimo,
Qui regnat sine termino.

Brev. ms. Tolosanum saec. 14. Cod. Tolosan. 74. A. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1552. B. — 2, 1 Coseranorum A. — 4, 4 fascitergio A.

318. De sancto Licerio.

Ad Matutinum.

1. Exsultet aula coelica,
Resultet mundi fabrica,
Hodie vir egregius
Coelos scandit Licerius.

2. Qui totus Deo deditus
Terras spernendo penitus,
Mundi calcatis floribus
Degebat in coelestibus.

3. Relictis bonis patriae
Solem sequens justitiae,
Exsul Tarbiam adiit
Jugumque Fausti subiit.

4. Cujus summa prudentia
Instructus ac justitia,
Quamvis aetate juvenis,
Pollebat in miraculis.

5. Hic in adolescentia
Dei repletus gratia
Adolescentis perditum
Prece restaurat oculum.

6. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Qui praesulem Licerium
Ad coeli vexit solium.

Brev. ms. Tolosanum saec. 14. Cod. Tolosan. 74. A. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1552. B. — 3, 3 Tarviam A. — 4, 2 et justitia B. — 5, 3 Adolescenti A.

319. De sancto Licerio.

Ad Laudes.

1. Jam puer bonae indolis
Pacem serebat dyscolis,
Orabat Deum jugiter
Pro perversis hilariter.

2. Hunc Faustus praesul artibus
Instructum liberalibus
Usque ad diaconium
Sublimavit Licerium.

3. A Quintiano praesule
Factus sacerdos, deinde
Praesul per Dei gratiam
Dirigitur ad Austriam.

4. Ibi pollens virtutibus
Ejusque modis omnibus,
Ut se minorem redderet,
Quando majorem cerneret.

5. Precemur ergo Dominum,
Ut sordes tergat criminum
Et per preces pontificis
Nos choris jungat coelicis.

Brev. ms. Tolosanum saec. 14. Cod. Tolosan. 74. A. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1552. B.

320. De sancto Licinio.

Ad Vesperas.

1. Urbis cives Andegavae
Et regionis incolae,
Ad gaudium concurrite
Solemnitatis annuae.

2. Qua pontifex sanctissimus
Assumptus est Licinius,
Ut in supernis sedibus
Cum coeli regnet civibus.

3. Qui regum pollens sanguine
Et juventutis indole
Et infinitis opibus
Et maximis honoribus,

4. Pro Christo sprevit omnia
Ut dormientis somnia,
Contempsit aulam regiam
Praecligens ecclesiam.

5. Sit patri laus cum filio
Et spiritu paraclito,
Sit trinitati gloria
Per infinita saecula.

Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. B. — Brev. ms. Andegaven. saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 24² C. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb. 303. D. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. E. — 1, 2 religionis D.

321. De sancto Licinio.

Ad Matutinum.

1. Editus clara generositate
Heroas Francos habuit proavos
Pontifex hic, cui hodie novamus
Annua festa.

2. Iste felicis documenta vitae
Parvulus condens animo sagaci,
Praecavet turpi maculare menda
Limina mentis.

3. Regio junctus lateri nocere
Nemini, cunctis satagit placere,
Monachum celat pretiosa vestis
Corpore castum.

4. Provida regni sapiens habenas
Mente dum vertit, petitur tribunus,
Hinc manu frangit valida superbum
Strenuus hostem.

5. Virginis taedas dirimit jugales
Lepra respersae maculosa carnis.
Inde tonso Licinius capillo
Se vovet aris.

6. Sancte dux noster, Licini, precamur,
Impetra servis veniam reatus,
Ut frui puro valeant supernae
Lumine sedis.

7. Principi regum dominoque mundi
Corde sincero famuli canamus,
Gloriam cujus deitas perenni
Permanet aevo.

Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. add. saec. 16. A. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. B. — 6, 1 dux nostri B.

322. De sancto Licinio.

Ad Laudes.

1. Carminibus placet hymnidicis
Gesta retexere pontificis,
Quem sua dum rogat atque colit
Licinium vocat Andegavis.

2. Femina daemone multiplici
Tristibus exagitata modis,
Dum populum movet ecclesiae,
Praesulis est reparata prece.

3. Caecus item, Giso dictus erat,
Qui sibi lumina danda rogat,
Huic quoque acta liquore sacro
Clarificatur hebens facies.

4. Debilium duodena cohors,
Dum pretium rogat aeris egens,
Per crucis auxilaris opem
Absque mora redit incolumis.

5. Sit tibi gloria, summe pater,
Sit tibi gloria, nate patris,
Spiritui quoque gloria par
Nunc et in omnia saecula sit.

Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. B. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII°. 24² C. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb. 303. D. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. E. — 3, 1 Glyzodenus erat C. — 4, 3 auxiliares C. — 4, 4 incolumes A. — 5, 1 summe fehlt C. — 5, 3 sq. nunc par D.

323. De sancto Luca.

1. Deus, tuorum militum,
Corona spes et praemium,
Attende pronis auribus
Indignis nostris vocibus.

2. Qui sanctum Lucam hodie,
Ab omni purum crimine,
Eductum carnis cavea
Locasti super aethera.

3. Ob ejus alma merita
Nostra relaxa crimina,
Hic libera de noxiis
Et in futuris saeculis.

4. Te cuncta laudant pariter,
Summe cunctorum arbiter,
Est cujus regnum stabile
Per aevum sine tempore.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109.

324. De s. Ludovico Episcopo.

Ad Vesperas.

1. Proles regalis prodiit
Claris fulgens prodigiis,
Caecis lumen restituit
Maris pulsis naufragiis.

2. Spretis regni fastigiis
Transit ad statum pauperis,
Cujus normam non deserit
Tractus ad culmen praesulis.

3. Assumptus cum episcopis
Ad primatum pontificis,
Vacat plenis praecordiis
Operibus hierarchicis.

4. Dum celebrat solemnia
Militantis ecclesiae,
Anticipat praeludia
Triumphantis militiae.

5. Dum dispensat charismata
Spiritualis gratiae,
Invitat ad stipendia
Triumphantis victoriae.

6. Dum praedicat praeconia
Salutaris scientiae,
Adsurgit ad spectacula
Supermundanae curiae.

7. Dum praecedit ad merita
Actionis heroicae,
Sursum agit ad praemia
Supercoelestis patriae.

8. Trinitati thearchicae
Decus, honor et gloria,
Sancti sint hujus merito
Nobis aeterna gaudia.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530.

325. De s. Ludovico Episcopo.

Ad Nocturnum.

1. In coelesti hierarchia
Novum sidus exoritur,
In sanctorum politia
Clarus concivis cernitur.

2. Ludovicus. flos gratiae,
Factus collega pauperum,
Lumen suscepit gloriae
Ingressus in sacrarium.

3. Pro paupertatis pretio
Regni sedet in solio,
Cujus laeta possessio
Tali datur commercio.

4. Pro puritatis regula
Regni crevit in gloria,
Cujus clarus intuitus
Meretur a munditia.

5. Pro pietatis munere
Sursum regnat in aethere,
Succurrens invocantibus
Pressis in isto carcere.

6. Patri nato, paraclito
Decus, honor et gloria,
Sancti sint hujus merito
Nobis aeterna gaudia.

Brev. ms. Minorum saec. 15. Cod. Parisin. 1046. A. — Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. B. — 3, 3 lata B. — 4, 1 puritatis regia A. — 5, 4 isto fehlt A. — 6, 1 nati A. — 6, 2 Deus A.

326. De s. Ludovico Episcopo.

Ad Laudes.

1. In ecclesia sanctorum
Perennis laus concinitur,
Cum coetibus angelorum
Ludovicus conjungitur.

2. Qui puritatem coluit
Nitens candore niveo,
Aureolam promeruit
In virginali titulo.

3. Qui praedicando docuit
Fulgens splendore flammeo,
Aureolam obtinuit
Doctrinali praeconio.

4. Qui regnare non voluit,
Regnat in coeli solio,
Comprehendens, quod meruit
Regali sacerdotio.

5. Trans semitam justitiae
Expetivit velociter
Templum supernae gloriae,
Introivit feliciter.

6. Patri, nato, paraclito
Decus, honor et gloria,
Sancti sint hujus merito
Nobis aeterna gaudia.

Brev. ms. Minorum saec. 15. Cod. Parisin. 1046. A. — Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. B. — 2, 3 bis 3, 3 fehlen A. — 4, 3 quod invenit A. — 5, 1 Qui semitam B. — 5, 2 Expedivit AB.

327. De sancto Magno.

Ad Vesperas.

1. Hymnis praedulcibus Magni praeconia
Cordeque vocibus pangamus inclita,
Ejus mirifica prodentes opera
Jugi digna memoria.

2. Hic ex prosapia magna progenitus
In pueritia vixit divinitus,
Post hoc est fruitus horum sceleribus,
In gente nequam alitus.

3. Ut Paulus Domino Magnus convertitur,
Christum ex animo totus consequitur,
Ardere creditur, sed non exuritur
Rubus, dum florens cernitur.

4. Sic in cubiculo sponsus cum virgine
Insigni titulo praecontinentiae
Vixit a Venere divino munere
Annis decem continue.

5. De templo trahitur Magnus dominico,
Repletus patitur ex sacrificio,
Migrat de proelio rubens martyrio
Castoque candens lilio.

6. Hujus ut passio nostrorum criminum
Fiat ablutio, poscamus Dominum,
Ut nobis gaudium post hoc exsilium
Largiatur perpetuum.

7. Honor, laudatio per mundi climata
Uni sit Domino trinoque gloria,
In trina machina qui regit omnia
Per cuncta semper saecula.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509.

328. De sancto Magno.

Ad Laudes.

1. Exsultemus concrepantes
Sonora melodia
Sancti Magni venerantes
Martyris insignia,
Ejus digna praedicantes
Post palmam miracula.

2. Odor manat, en, unguenti,
Alabastrum frangitur,
Quovis morbo gravescente
Salus vera redditur,
Plebs concurrit, fit egenti
Cuiquam, quod petitur.

3. Lepram mundat et furorem
Pellit ab amentibus,
Contuendi dat vigorem
Privatis luminibus,
Mutis fandi praebet morem,
Gressum claudicantibus.

4. Ferro vincti relaxantur,
Surdi simul audiunt,
Casu fracti mox sanantur,
Mala quaeque fugiunt,
Naufragantes liberantur,
Dum procellae saeviunt.

5. O quam probat hunc beatum
Ossis ejus ustio,
Bis fit auri crux crematum
Os sed ossis tertio
Crux fit os ejus sacratum
Tam miro commercio.

6. Magne pater famulorum,
Tibi supplicantium
Sordes terge delictorum,
Fidem firma mentium,
Adeptores praemiorum
Quo simus coelestium.

7. Laus perennis trinitati,
Salus, virtus, gloria,
Uni decus caritati,
Mira cujus gratia
Suae cuncti majestati
Serviunt per saecula.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509.

329. De sancto Majolo.

In 1. Vesperis.

1. Victoris agni sanguine
Dies sacratus hodie
Fusus supremo lumine
Gemina pollens lampade.

2. Ecce paschale gaudium
Fulget per omne saeculum,
Magni Majoli transitum,
Vitam simul et meritum

3. Pangat clerus et populus,
Maxime grex monasticus,
Quo nil habuit dulcius,
Dum esset terris positus.

4. Praecedit Christus patiens,
Majolus illum confitens
Sequitur recto tramite
Dei praeventus munere.

5. Patriarcharum solidam
Fidem opere coluit,
Quod chorus vatum cecinit,
Fideli fide credidit.

6. Ordinis apostolici
Sectando sacra dogmata
Factus est pater inclitus
Ipse vir apostolicus.

7. Cujus clara confessio
Coronatur martyrio,
Decertando legitime
Subacto mundi principe.

8. Templum ipse virgineum
Pectus sacravit proprium,
Coelestis vitae nuntius
Recte vocatur angelus.

9. Quorum gaudet nominibus
Pastor noster egregius,
His nos jungat in aethera
Christi favente gratia.

10. Tibi sit laus et gloria
Tollenti mundi crimina
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Cod. Parisin. Nouv. acq. 1496. saec. 12. in. — Auctor des Hymnus ist Odilo von Cluny.

330. De sancto Majolo.

Ad Nocturnum.

1. Christe, cunctorum via, lux sanctorum,
Precibus sacris venerandi patris,
Magni Majoli, populo fideli
Gaudia pacis

2. Mitte de coelis veniamque nostris
Largire culpis — — — — —
Adsit et nobis gratia perennis
Spiritus almi.

3. Cujus protecti munere potenti
Patrum exemplis meritisque celsis
Per iter rectum mereamur altum
Scandere regnum.

4. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore saecli.

Cod. Parisin. Nouv. acq. 1496. saec. 12. in. — Vgl. Migne PP. LL. 142963. — Verfasser Odilo Cluniacensis.

331. De sancto Majolo.

Ad Laudes.

1. Majole, consors procerum,
Regum regi placentium,
Inter coelestes aulicos
Divinitatis conscios

2. Honoris privilegio
Coetu junctus moenastico,
Sed et choris angelicis
Frueris aula luminis.

3. Unde, pater, nos respice
Pressos peccati pondere,
Depone gravem sarcinam,
Leviga conscientiam.

4. Hic fascibus depositis
Mortis solutos vinculis
Junge nos tuos servulos
Monachis praestantissimis.

5. Cum quibus nos perpetua
Possideamus gaudia
Christi favente gratia
Per infinita saecula.

Cod. Parisin. Nouv. acq. 1496 saec. 12. in. — Verfasser des Hymnus ist Odilo von Cluny.

332. De sancto Majolo.

In 2. Vesperis.

1. Christe, cunctorum pariter tuorum
Palmitum vitis, Deus alme, nobis
Praebe Majoli celebrare tanti
Festa patroni.

2. Quem tibi nostris placuit diebus
Pluribus signis meritisque dignis
Regibus coram hominumque turbis
Glorificare.

3. Annuas istisque sic interesse
Gaudiis nos, perpetuis et almis
Pro reis gestis merito carere
Ut nequeamus.

4. Quaesumus, rector, pietatis auctor,
Noster hic pastor tibi sit precator,
Quo tua nobis pietate cunctis
Crimina dones.

5. Cujus in tanto pia vota festo
Congruit nobis jugiter canendo,
Insuper Paschae tibi duplicatas
Solvere laudes.

6. Trinitas, Deus unus atque summus,
Sit tibi, rex, gloria sempiterna,
Qui regis tanta bonitate cuncta
Omne per aevum.

Cod. Parisin. Nouv. acq. 1496. saec. 12. in. — Vgl. Migne l. c. 964. — Verfasser ist Odilo von Cluny.

333. De sancto Malachia.

Ad Laudes.

1. Nobilis signis, moribus suavis,
Meritis sanctus, inclitus triumphis
Hodie carnis pondere levatus
Migrat antistes.

2. Nec vacat sancto Malachiae nomen,
Angelum sonans, angelorum signat
Similem esse puritate vitae,
Gloria parem.

3. Angelus noster civium suorum
Redditus votis, sociatus thoris,
Praeminet multis, coaequatur summis
Merito quidem.

4. Sobrius victus, castitas perennis,
Fides, doctrina, animarum lucra
Meritis parem coetui permiscet
Apostolorum.

5. Opere vicem, animo virtutem
Tenuit horum praesul et legatus
Ac per hoc jure etiam honorem
Vendicat sibi.

6. Signa quis quaerat, quis referre queat?
Hoc tamen ipsum manifestat satis
Mortuus surgens, quantae in hac parte
Gloriae fuit.

7. Christo regnanti sitne ulla nostri
Cura, putamus, quos amavit prius,
Pauperes fovit, humiles spiritu
Humilis ipse?

8. Absit ab illo fonte pietatis
Sorte levata segnius manare,
Absit, ut spernat miseros beatus,
Orphanos pater.

9. O Malachia, Clara vallis tua,
Clarior tui corporis thesauro,
Postulat supplex, te tuente frui
Pace perenni.

10. Gloria patri filioque ejus,
Gloria tibi, spiritus amborum,
Una sit tibi, quia tres sunt unum,
Una majestas.

Brev. ms. Claraevallense saec. 12. ex. Cod. Trecen. 575. A. — Brev. ms. Claraevallense saec. 12/13. Cod. Trecen. 1162. B. — Brev. ms. Claraevallense saec. 13. Cod. Trecen. 1894. C. — Brev. ms. Claraevallense saec. 13. Cod. Trecen. 1157. D. — Brev. ms. Claraevallense saec. 13. Cod. Trecen. 1158. E. — Brev. ms. Claraevallense saec. 13. Cod. Trecen. 1160. F. — Brev. ms. Claraevallense saec. 13. Cod. Trecen. 1977. G. — 6, 4 Fuit gloriae A. — 9, 1 plebs Claraevallis A. — 10, 2 amborum spiritus. — Der Hymnus ist wohl zweifellos vom hl. Bernhard von Clairvaux; die Verskunst ist ganz die des Verfassers der beiden Hymnen auf Sankt Victor.

334. De sancto Marcello.

Ad Vesperas.

1. Exsultet coelum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
Marcellus in coelestibus
Laetus potitur praemiis.

2. Marcellus, martyr inclitus,
Papa fuit antiquitus,
Cujus manus in cophino
Servierunt pro Domino.

3. Maximianus impius
Hunc Marcellum diutius
Ad publicum servitium
Damnavit animalium.

4. Hic Marcellus maceria
Carnis exutos propriae
Intravit cum victoria
Regnum coelestis curiae.

5. Cluniacensis populus
Hujus laetatur corpore,
Hic fuit ejus titulus
A longo valde tempore.

6. O quam felix coenobium,
Quam vera sit religio,
Quae tantorum ac talium
Fulcitur patrocinio.

7. Huic ergo demus gloriam,
Qui per suam praesentiam
Cluniacensem patriam
Decorat multifariam.

8. Trinitati sit dedita
Laus, honor, virtus gloria,
Quae per Marcelli merita
Nos ducat ad coelestia.

Brev. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 15.

335. De sancto Marcello.

Ad Nocturnum.

1. Coeli cives, applaudite,
Et vos, fratres, concinite,
Patris nostri solemnia
Solis reduxit orbita.

2. Hinc ergo psalmi resonent,
Hinc lectiones concrepent
Et hymnorum dulcisona
Multiplicentur cantica.

3. Fortem, fidelem militem,
Coeli secutum principem,
Marcellum quoque martyrem
Plebs corde, voce personat.

4. Opus sacratum construit,
Fidem docet baptismatis,
Sed audientum caecitas
Munus repellit luminis.

5. Aufer, sacerdos optime,
Gemitus nostros et preces,
Firma fidem, martyr Dei,
Moresque nostros corrige.

6. Ipse guberna fragiles
In mundi hujus pelago
Atque exutos corpore
Pie benignus suscipe.

7. Quo sine fine gloriam
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
Toto canamus pectore.

Brev. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 15. — 2, 1 resonant. — 2, 2 concrepant. — 2, 3 dulcisonant. — 7, 4 Totum canamus perpetim.

336. De sancto Marco.

1. Hymnis canamus debitis
Ad sancti Marci gloriam,
Cujus corona capitis
Nostram ditat ecclesiam.

2. Hic sator evangelii,
Hic victor per martyrium,
Duplicis privilegii
Gaudet habere praemium.

3. Quanto ergo hoc plenius
Dei perfudit gratia,
Tanto et nos alacrius
Haec agamus solemnia.

4. Hujus dilecti Domini
Nos commendemus precibns,
Quo Christiano nomini
Bonis aptemur moribus.

5. Culparum nobis veniam
Ejus praestet memoria,
Praestet vires et gratiam
Ad propulsanda vitia.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu, qui patria
Magno nos ditet gaudio.

Coll. Hymn. ms. saec. 18. Cod. Parisin. 1094. Das Alter des Hymnus ist aus dem Reime zu erkennen.

337. De sancta Margareta.

Ad Vesp. et Noct.

1. Chorus coelestis curiae
Gaudet in coelis hodie
Cum gloriosa virgine,
Cujus festum est hodie.

2. Virgo dum erat juvenis,
Ivit cum coaetaneis
Pascendo animalia
Nutricis Dei filia.

3. Vidit sanctam Olybrius,
Misit quaesitum impius,
Ut ipsa sibi crederet
Et legem Christi linqueret.

4. Illa tyrannum noluit
Sed puro corde voluit
Servire sine termino
Omnipotenti Domino.

5. Jussit tyrannus virginis
Margaretae tam juvenis
Membra ligari fortiter
Et tormentare graviter.

6. Fecit includi virginem
In carcerem amabilem
Cum daemone, non homine
Et absque ullo lumine.

7. Beata non abhorruit
Draconem et non timuit,
Ipsum sub pede posuit,
Et nihil sanctae nocuit.

8. Praesta, pater piissime,
Ut nos tuo spiramine
Possimus sine crimine
In mundo semper vivere.

Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. A. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497. B. — Mel.: die des Theodulhymnus gleichen Anfangs.

338. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Aeterne Christe Domine,
Qui natus es de virgine,
Intende nostris laudibus
Nunc Margaretae precibus.

2. Ut qui hanc tuo lumine
Gentili natam semine,
Piis ejus obtentibus
Nos leves in coelestibus.

3. Haec est pro tuo nomine
Passa, mundi dulcedine
Spreta, in cruciatibus
Orans pro peccatoribus.

4. Superno fulta lumine
Derisit in certamine
Sibi insidiantibus,
Tuta coeli conventibus.

5. Gloria tibi, Domine,
Patri, nato cum flamine
Adsis, orbis qui regibus
Dominaris et omnibus.

Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Gratianopolitan 136. A. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552) B. — 2, 2 datam semine B. — Man beachte den Reim, der durch alle Strophen hindurchgeführt ist.

339. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Carceris est caligine
A draconis voragine
Erepta ex daemonibus
Vinctis duobus hostibus.

2. Ducta ex obumbramine
Cum gladii vibramine
Capite plexa coetibus
Aggregatur coelestibus.

3. Ergo qui tuo numine
Cor scrutaris in homine,
Da veniam petentibus
Ejus orationibus.

4. Fac nos, precamur, Domine,
Tali florere germine,
Ut purgati criminibus
Crescamus in virtutibus.

5. Gloria tibi, Domine.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

340. De sancta Margareta.

1. Pange lingua Margaretae
virginis praeconia
Simul omnes congaudete
In ejus solemnia,
Nam qui gaudet, virgo, de te,
Regnabit in gloria.

2. Pascit oves haec nutricis,
Vidit hanc Olybrius,
Pulsat verbis inimicis
Impiorum impius,
Volens more meretricis
Ejus esse socius.

3. Virgo nolens obedire
Principis amplexibus
Flagellatur pia dire
Nec cessit tortoribus,
Malens mori quam perire
Terrore vel precibus.

4. Veste sua spoliata
Virgo virgis caeditur,
Ejus caro lacerata
Rubescens disrumpitur,
Diris flagris cruciata
Carcere recluditur.

5. Ingens draco deglutivit
Virginem, sed propere
Signo crucis se munivit,
Sic munitam laedere
Captat, nequit, sed exivit
Ejus rupto latere.

6. Hoste victo poena crescit,
Aere suspenditur,
Exuritur nec marcescit,
Post haec aquis mergitur,
Judex furit et tabescit
Videns, quod deluditur.

7. Decollari tunc jubetur
Praeceptis Olybrii,
Virgo gaudet nec veretur
Praemia martyrii,
Deum laudans, quod meretur
Dona tanti praemii.

8. Orat virgo, ne frangatur
Munere vel praemio,
Caput ejus amputatur
Judicis imperio,
Paradiso collocatur
Juncta Dei filio.

9. Omnes ergo deprecemur
Virginem et Dominum,
Ut cum ea collocemur
In supremo culminum
Et sic semper liberemur
A pressura criminum.

Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515.

341. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

1. Hymnum canamus gloriae,
Clangat exsultans hodie
Te virginalis castitas,
O lux, beata trinitas.

2. Claris orta parentibus
Margareta gentilibus
Suspirat ad perennia
Supernae matris gaudia.

3. Praefecti minas impii
Non formidat Olybrii,
Fidem colit ad meritum,
Deus, tuorum militum.

4. Draconis in latibulo
Crucis se munit spiculo,
Draco, daemon dum pereunt,
Vexilla regis prodeunt.

5. Dum virgo sacra patitur,
Credens in fide moritur
Pro te grex quinque milium,
Christe, redemptor omnium.

6. Truncata caput gladio
Coronatur martyrio,
Voce coelestis alitis
Freta sanctorum meritis.

7. Patri laus sit ingenito
Ejusque unigenito,
Nos visitans divinitus
Veni, creator spiritus.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 1061. A. — Brev. ms. Aquense imp. Lugduni 1499. B. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. C.

342. De sancta Margareta.

Ad Matutinum.

1. Laetetur mater inclita,
Polorum luce praedita,
Cujus gaudet solemnio
Fidelium devotio.

2. Victis triumphat hostibus
Victrix fruens coelestibus,
Nostra deleto crimina,
O gloriosa domina.

3. Te matronae glorificant,
Colunt, adorant, praedicant
Assumptam super sidera
Quam terra, pontus, aethera.

4. Patri natoque gloria
Sit laus, virtus, potentia,
Missus adesto coelitus
Nunc sancte nobis spiritus.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 1061. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. B. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. C.

343. De sancta Margareta.

In Laudibus.

1. Pangat chorus fidelium
Margaretae martyrium,
In mundi lucens area
Lux, ecce, surgit aurea.

2. Martyr spretis blanditiis,
Promissis et suppliciis
Te solum colit Dominum,
Jesu, corona virginum.

3. Tandem mortis compendio
Lictoris migrat gladio,
Mundus exsultans jubilat,
Aurora lucis rutilat.

4. Genitori cum filio
Sit laus et exsultatio,
Qui vocaris paraclitus,
Veni, creator spiritus.

Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 1061. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. B. — 4, 3 Qui es vocatus paraclitus AB. — 4, 4 Veni sancte spiritus AB.

344. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

1. Sume laudis praeconia
Tu, quem laudat ecclesia
In Margareta Dominum,
Jesu, corona virginum.

2. Choro cinctus virgineo
Nec non cruore roseo,
Castitatis vernantia
Qui pascis inter lilia.

3. Quem laudant hymnis dulciter
Cum Margareta jugiter
Supra polorum ordines,
Quocunque pergunt, virgines.

4. Hujus triumpho nobili
Praemioque mirabili
Nobis esto propitius,
Te deprecamus largius.

5. Hoc, qui cum unigenito
Regnas et cum paraclito,
Deus unus verissime,
Praesta, pater piissime.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — 1, 1 Sume laudibus B. — 2, 2 non eodem roseo B. — 4, 1 Cujus. — 5, 2 Regnat A.

345. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Aeterne Christe Domine,
Qui natus es de virgine,
Intende nostris laudibus
Nunc Margaritae precibus.

2. Haec est pro tuo nomine
Passa, mundi dulcedine
Spreta, in cruciatibus
Orans pro peccatoribus.

3. Olybrius attribuit,
Sibi dari, quo promisit,
Ipsa respondet: praefecte,
Tua dona nolo nec te.

4. Ob hoc illam cruciari
Mox jussit, post decollari,
Quo peracto coeli coetus
Hanc suscepit cantus laetus.

5. Ut defendat dira nece,
Nos precamur, dulci prece,
Hanc beatam Margaritam,
Dux, quae nostra sit ad vitam.

6. Regi sine principio
Sit laus una cum filio,
Adsitque nobis coelitus
Charisma sancti spiritus.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — 3, 1 Olybrius occubuit B. — 3, 2 Sibi dari qui promisit A; Mulieri dare quod promisit B. — 3, 2 in praefecte B; praefecte fehlt A. — 3, 4 Tua dona nolo fehlt A. — 4, 2 postque B. — 6, 1 Ut sine principio A. — Vgl. Nr. 338, dem die ersten zwei Strophen entlehnt sind.

346. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

1. Adest dies laetitiae,
Quo Margareta inclita
Ad thronum venit gloriae
Bina corona praedita.

2. Nobilis, pulchra, humilis
Fit virtutum sacrarium,
Constantia mirabilis
Durum suffert supplicium.

3. Cranicornuta specie
Satan ab ipsa noscitur,
Sed pede pudicitiae
Jactatus solo teritur.

4. Emolliens refellitur
Cum promissis Olybrius,
Terrens minis contemnitur,
Et cruciatur amplius.

5. Honor sit patri luminum,
Laus sit sancto spiritui,
Sit decus sponso virginum,
Qui coeli nos det coetui.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (787). — 3, 1 Cranicornitus effigie. — 3, 2 Sata hĩri ana noscitur. — 3, 3 Et pede. — 3, 4 sol tefitur. — 5, 4 Qui coelo.

347. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Erumpamus in laudibus
Margaretae praeconio,
Quae gratiam supplicibus
Obtinuit martyrio.

2. Virginitatis lilio
Et fide Deo jungitur,
Nec corporis excidio
Ab eodem disjungitur.

3. Hanc sorbens draco crepuit
Facto crucis signaculo,
Illaesaque apparuit
Cum triumphali titulo.

4. O quam grata vox dicitur,
Cum pro devotis supplicat,
Divinum verbum mittitur
Et exauditam judicat.

5. Honor sit patri luminum.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (787). — 2, 1 Virginitatis lilium. — 3, 3 Illaque apparuit.

348. De sancta Margareta.

Ad Vesperas.

1. Celebremus ad honorem
Margaretae virginis
Solemniter passionem
Et laetemur gaudiis,
Ut per ipsam adjuvemur
Precibus et meritis.

2. Mox de matre ejus nata
Illa spiritu sancto
Omnino erat repleta,
Dilecta Jesu Christo,
Odiosa patri suo
Erat Theodosio.

3. Nutricis oves pascebat
Et se Deo tradidit
Et in eo spem ponebat,
Qui salvam eam fecit
Et virginem castiorem
Castam semper reddidit.

4. His diebus transiebat
Olybrius praefectus,
Christianos inquirebat,
Cum ferreis nexibus
Constringebat, carcerabat
In illis temporibus.

5. Virginis videns adspectum
In eam concupivit,
Ad mutandum ejus sensum
Ministros suos misit,
Ad pretium promittendum,
Sed Deus custodivit.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. Dolense imp. Parisius 1519.

349. De sancta Margareta.

Ad Nocturnum.

1. Pange, lingua, gloriosae
Virginis praeconium,
Vox concinat pretiosae
Margaretae meritum,
Ut illustret corde, ore
Mentis domicilium.

2. Quando fuit praesentata
In conspectu judicis,
Ex quo genere est nata
Illa virgo nobilis,
An ancilla vel libera,
Allocuta est verbis.

3. Christianam se fatetur,
Libera, non ancilla,
Trinitatem confitetur
Fide nobilissima,
Recluditur, carceratur
Martyr beatissima.

4. De carcere est educta,
Praefectus adloquitur
Seducendo per promissa
Nec his verbis mollitur,
Non per verba nec verbera
Judicis haec terretur.

5. Carnifices accedentes
Jussu mali praefecti
In aere suspendentes,
Praecepit eam caedi,
Ipsam Deo dantem laudes:
Gloria, Christe, tibi.

6. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. Dolense imp. Parisius 1519.

350. De sancta Margareta.

Ad Laudes.

1. Hujus virginis laudemus
Virtutum solemnia
Et ipsius revocemus
Ad mentem praeconia,
Ut impleta comprobemus
Passionis merita.

2. Ista virgo Margarita
Praefectum Olybrium
Non formidat, sed divina
Lex firmat eloquium,
Quod convertit tria milia
Hominum gentilium.

3. Judex videns se confusum
Contra mentem martyris,
Ut in quodam vase plenum
Aquae ministris suis
Sic jussit, ut necaretur,
Illa stat immobilis.

4. Educta ad decollandum
Oratione facta
Caput ejus amputatum
Est, et ejus anima
Videntibus est in coelum
Ab angelis suscepta.

5. Gloria et honor Deo.

Brev. Dolense imp. Parisius 1519.

351. De s. Maria Aegyptiaca.

Ad Vesperas.

1. Christe, decus ecclesiae,
In tuae festo filiae
Audi nostra precamina
Dimitteque peccamina.

2. Multum tibi peccavimus
Poenasque promeruimus,
Sed parce confitentibus
Ad te pie clamantibus.

3. Adjuva nos, o domina,
Per quam panduntur limina
Regni coelestis hodie
Poenitenti Aegyptiae.

4. Coelorum cives incliti,
Septem dona paracliti
Dentur nobis precantibus
Vestris orationibus.

5. Gloria sit ingenito
Ejusque unigenito
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. ms. S. Theodorici saec. 14. in. Cod. Remen. 191 (207). — 4, 3 Dantur nobis.

352. De s. Maria Aegyptiaca.

Ad Matutinum.

1. Per omnes mundi cardines
Sancti laetentur homines
Recolentes insignia
Aegyptiae solemnia.

2. Omnis turba fidelium
Ad hoc apponat studium,
Ut possit pie psallere
In tantae matris funere.

3. Gaude modo coelestium
Agmen sanctorum civium,
Intuens ovem perditam
Aeternae vitae redditam.

4. O Maria piissima,
Hostis tela nequissima
A nostris trahe cordibus
Tuis orationibus.

5. Gloria sit ingenito.

Brev. ms. S. Theoderici saec. 14. Cod. Remen. 191 (207).

353. De s. Maria Aegyptiaca.

1. Antra deserti poenitendi causa,
Cum tibi templi janua sit clausa,
Spiritu sancto fortiter es ausa
Sola subire.

2. Carnem peccati spinis lacerari,
Domitans pastu graminis amari
Undaeque potu suo salutari
Grata tulisti.

3. Corpore, sensu atque mente tota
Ab hujus saecli luxu es remota,
Viribus totis fueras devota
Deo, Maria.

4. Unda Jordanis super se portavit
Ad baptizandum atque reportavit,
Corpus exsangue radius lustravit
Missus ab alto.

5. Funeri sacro praestant famulatum
Monachus, leo, carmen Deo gratum
Concinunt sancti, spiritum sublatum
Coelo reddentes.

6. Ubi cum Christo laeta triumpharis
Et ejus matrem juxta coronaris,
Immemor nunquam turbae saecularis,
Qui te collaudant.

7. Te deprecatur turba captivorum,
Criminum culpas deleas suorum
Et choro jungas civium tuorum
Precibus sanctis.

8. Gloria patri genitaeque proli
Et tibi, compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus, omni
Tempore saecli.

Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. — 3, 3 fueris. — 4, 2 Te ad baptizandum.

354. De s. Maria Aegyptiaca.

Ad Vesp. et Laud.

1. Tamquam aurum in fornace
Probat ad ecclesiam,
Voluptatis pro thorace
Induit justitiam
Deus, tollens de procace
Carnis impudentiam.

2. Foedi luxus haec abyssum
Potenter egrediens
Totum cingit atque byssum
Retorquet ut sapiens,
Regni tendens ad promissum,
Quod est indeficiens.

3. Quo delictum abundavit,
Abundat et gratia,
Nam condigna gemens lavit
Scelus poenitentia,
Per quam sibi viam stravit
Ad coeli palatia.

4. Gloria et honor Deo,
Agno sine macula,
Qui de tribu Juda leo
Mortis solvens vincula
Victor regnat cum trophaeo
Per aeterna saecula.

Brev. ms. Atrebatense. saec. 15. Cod. Atrebaten. 747. — 1, 2 Probatam ad ecclesiam. — 2, 2 ingrediens. — 3, 5 stravit sibi viam.

355. De s. Maria Aegyptiaca.

Ad Nocturnum.

1. Gloriosae recolentes
Mariae solemnium
Elevemus sursum mentes
Ex affectu cordium,
Ad illius proferentes
Honorem praeconium.

2. Matri Deo coaequata
Dignitate nominis,
Stella maris est vocata
Labe carens criminis,
Loco diu conversata
Vastae solitudinis.

3. Multa carnis cum dolore
Pro Christo sustinuit,
Nuda tota dum algore
Hiemis obriguit,
Et aestatis prae fervore
Cutis ejus aruit.

4. Foris nigra, sed formosa
Canduit interius,
Foeda prius et rugosa,
Licet flens uberius,
Quae commisit criminosa,
Mutavit in melius.

5. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Atrebatense saec. 15. Cod. Atrebaten. 747. — 2, 1 Patri Deo.

356. De sancta Maria Magdalena.

1. Gemma fulgens et monile
mundi praeclarissimum,
Deo dignae servitutis
et exemplar congruum,
O Maria Magdalena.
nobis fer subsidium.

2. Perfectae confessionis
tu vexilligerula,
Domini lavasti pedes
lacrimarum copia
Tersione subsequente
leniter capillea.

3. Unde grata redemptori
nostro facta veniam
Impetrasti delictorum
elegisti et optimam
Partem semper Deo teste,
quam tenes perpetuam.

4. Nocte surgens ut prudentum
una de familia
Resurrectionis Christi
prima fore nuntia
Meruisti, resurgentis
jam sermone credula.

5. Tuam ergo supplicantes,
Deo digna Maria,
Imploramus almitatem,
quo fundas precamina,
Fraus ne tibi famulanti
noceat daemonica.

6. Summo patri sempiterna
sit cum nato gloria
Pneumatique sacro decus,
et nobiscum gratia
Ejus sit, trinus et unus
qui gubernat omnia.

Diurn. ms. Virmandense saec. 15. Cod. Parisin. 1267. — 5, 1 Quam ergo. — 6, 4 nobiscum gloria.

357. De sancto Mario.

In 1. Vesperis.

1. Votiva cunctis orbita
Lucis triumphat gratia,
Qua scandit astra vernula
Marius Christi fulgida.

2. Carnis beatus luridam,
Saecli ruentis machinam,
Ardore sancti spiritus
Ignes subegit lubricos.

3. Te quaesumus, piissimam
Exposce clemens veniam,
Coelestis aulae tinnulis
Quo perfruamur organis.

4. Evocatus a Domino
Emittis spiritum polo
Regnaturum perpetuo
Conventu cum angelico.

5. Jam, sancte Mari, poscimus,
Illis fer opem omnibus,
Qui te per hymnos celebrant
Tuumque nomen invocant.

6. Sit patri laus et genito
Ac pneumati paraclito,
Sit magna jubilatio
Uni trinoque Domino.

Brev. Sistaricense imp. Sistarici 1513. A. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. B. — 6, 2 paracleto. B. — Zum grofsen Teile dem Magdalena-Hymnus gleichen Anfanges entlehnt.

358. De sancto Mario.

Ad Nocturnum.

1. Sacri triumphale tui,
Christi bellator inclite,
Quo arma, fides et crucis,
Trophaeum vernat proelii,

2. Mysticis canora modis
Turba laudesque concinit,
O Mari, lux, vita, decus,
Apostolorum particeps.

3. Petri coronaris fide
Paulique dogma nobile,
Sacro unguente unguine
Sancto muniris spiritu.

4. Austremonium praesulem,
Veterinum presbyterum,
Mamertum archidiaconum
Christo libasti victimam.

5. Coelo locans substantiam,
Aerugo quam non devorat,
Gentes trahens ad gratiam
Sacra talenta duplicas.

6. Tu elementum liquidum
Siccis calcans vestigiis
Liberos reddis patriae
Aequoris morti deditos.

7. His ita gestis inclitus,
Almo repletus flamine,
Insignem coronam gerens
Vitae nitescis praemio.

8. Suscipe vota precantum
Peccatorum, egregie
Verbi coelestis amator
Et doctor evangelice.

9. Doxa patri ingenito
Ejusque unigenito,
Amborum sacro flamini
Pollenti nutu perpeti.

Brev. Sistarieuse imp. Sitarici 1513. — Zum grofsen Teile dem Nazarius-Hymnus gleichen Anfanges entlehnt.

359. De sancta Martha.

Ad Vesperas.

1. Votiva cunctis orbita
Lucis est nobis reddita,
Qua Martha Christi hospita
Coelum ascendit inclita.

2. Pulchra genis et genere,
Ore pollens et opere,
Christum studet diligere,
Hospitari et pascere.

3. O Martha, Christi hospita,
Pro nobis Christum rogita,
Ut vitemus illicita
Vitae mente sollicita.

4. Ut per tua suffragia
Intra coeli palatia
Cum perenni laetitia
Coronemur in gloria.

5. Laudes patri cum filio
Nostra persolvat concio
Spirituique sedula
Hymnum cantet per saecula.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 277. B. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. C. — 2, 1 genus et genere B. — 2, 2 und 2, 3 umgestellt B. — 3, 4 Vita mentis A. — 4, 2 Inter templi palatia A. — 5, 2 resonet concio C.

360. De sancta Martha.

Ad Laudes.

1. Ut propheta docuerat,
Quasi colonus venerat
Christus, cum ad convivium
Marthae subiit hospitium.

2. Mirabilem hanc praebuit,
Quod draconem edomuit,
Dum suo ligat cingulo
Indomitum a saeculo.

3. Sed multo plus mirabilem
Et cunctis venerabilem,
Dum submerso in fluvio
Fit vitae restitutio.

4. Hospitatrix eximia
Christi, Martha egregia,
Audi, quae fundunt singuli
Vota devota populi.

5. Laudes patri cum filio.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 277. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. C.

361. De sancta Martha.

1. Rex coelorum et terrarum
Descendens ad infera,
Terras tenens ac relinquens
Olymporum supera,

2. Factus homo Marthae domo
Suscepit hospitia
Pro amore regum Marthae
Dimittens palatia.

3. Cujus namque pia prece
Pius hospes Lazarum
Suscitavit, spoliavit
Animam de baratro,

4. Visitavit et beavit
Hanc suis funebriis,
Veni, mea o dilecta,
Vivas poli gaudiis.

5. Quem cibasti et potasti
Tuo me hospitio,
Coronata et ornata
Meo sis palatio.

6. Ergo Martha fulget laeta
In aeterna gloria,
Qua salvemur et juvemur
In Olympi patria.

Brev. ms. Franciscan. Metens. saec. 15. Cod. Meten. 588.

362. De sancta Martha.

1. Martha, matrona nobilis,
Virgo prudens et humilis,
Ortu regali prodiens
Mundo fulsit ut oriens.

2. Haec possidens Bethaniam
Servabat sanctimoniam,
In qua vivens assidue
Christo servivit strenue.

3. Saepe Christum hospitio
Laeta recepit proprio,
Ipsum cibans sollicita
Et ministrans ut hospita.

4. Christus, qui praesens adfuit,
Fratri vitam restituit,
Post fletuum lavamina
Sororis lavit crimina.

5. Dudum salvavit patriam,
Tarrasconensem regiam,
Draconis a periculo
Viso crucis signaculo.

6. Subvenit ejus precibus
Aegris in se fidentibus,
Sic rex sanus efficitur
Chlodavaeus, ut geritur.

7. Virgo Martha, nos dirige,
Mentes in Christum erige,
Procura post exsilium
Tecum nobis hospitium.

8. Nos prece fratris Lazari
Serves a fauce Tartari
Et sororis suffragio
Des frui coeli praemio.

9. Christo dentur laus et honos,
Et nos salvet ejus amor,
Qui dedit Marthae virgini
Jungi sanctorum agmini.

Brev. ms. Tornacense saec. 14. Cod. Tornacen. XXI. A. — Diurn. ms. Tornacense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Tornacen. XXII. B. — Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Insulen. 10. C. — Brev. ms. Tornacense saec. 15. Cod. Insulen. 42. D.

363. De sancta Martha.

Ad Vesperas.

1. Sanctae Marthae praeoptatus
Dies adest celebris
Cujus aede hospitatus
Est filius virginis
Atque saepe confortatus
Epularum ferculis.

2. Haec est, quam Christus amavit,
Adamator virginum,
Et amorem demonstravit
Suscitando Lazarum,
Quem ad vitam revocavit
Voce post quatriduum.

3. Haec servire satagebat
Intenta officio,
Dum Maria audiebat
Verba dulci otio,
De qua et conquaerebatur
Serviendi studio.

4. Martha dapes praeparabat
Pio ministerio,
Et Maria quiescebat
Ex dulci eloquio,
Sic utraque intendebat
Christo Dei filio.

5. Haec activam figuravit
Vitam in ecclesia,
Quae Dominum Jesum pavit
Summa diligentia,
Et quem pavit, ipsam pascit
In coelesti gloria.

6. Adonai, Jesu Christe,
Audi voces supplicum
Et hospitae tuae Marthae,
Populum catholicum,
Ut valeant pervenire
Ad gaudium coelicum.

Brev. ms. Avenionense saec. 15. Cod. Lugdunen. 468. A. — Antiph. ms. S. Desiderii Avenionen. saec. 15. Cod. Avenionen. I. B. — Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisin. 1285. C. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Tolosan. 75. D. — Brev. Tolosanum imp, Parisiis 1553. E.

1, 4 Fuit filius C. — 1, 5 semper confortatus C. — 3, 2 Frequens ministerio C. — 3, 5 Quam soror exasperabat C. — 3, 6 Amoris incendio C. — Str. 4 und 5 fehlen C. — 4, 5 intendebant A. — 5, 5 Haec quam pavit B. — 6, 6 gaudia C.

364. De sancta Martha.

Ad Matutinum.

1. Coeli rorem mellifluum
Distillaverunt hodie,
Felix Martha dum congruum
Scandit ad thronum gloriae.

2. Susceperat haec Dominum
Quondam gaudens hospitio,
Suscepit pater luminum
Ipsam coeli palatio.

3. Servivit totis viribus
Peregrinanti filio,
Servitur in coelestibus
Immenso Martha gaudio.

4. Beatum roget hospitem
Pro nobis dulcis hospita.
Ut peccatorum fomitem
Culpa solvat abolita.

5. Sit laus, decus et gloria
Genitori cum genito,
Qui flaminis clementia
Nos purget Marthae merito,

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553.

365. De sancta Martha.

Ad Laudes.

1. Refulget dies inclita,
Qua Martha, Christi hospita,
Carnis exuta pondere
Summo fulget in aethere.

2. Haec manens virgo corpore
Christum cum matre virgine
Suo fovit hospitio
Carnis velata pallio.

3. Lactavit haec infantiam,
Haec pavit pueritiam,
Felix mater per merita,
Vix minus felix hospita.

4. Istius prece Lazarum
Quatriduanum foetidum
Traxit Jesus ab inferis
Et sociavit superis.

5. Suis nunc, Christe, precibus
. . . . . .
Cunctis munda sceleribus,
Coeli conjunge civibus.

6. Gloria patri ingenito
Ejusque unigenito
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

Brev. Lemovicense saec. 15. Cod. Mazarin. 350 (787).

366. De sancta Martha.

Ad Laudes.

1. Plaudat turba fidelium
Marthae promens obsequium,
Quam Christus rex clementiae
Vehit ad thronum gloriae.

2. Christo in terris posita
Ministravit sollicita,
Nunc sempiternis epulis
Satiatur et poculis.

3. Adest soror convivio
Et frater in commercio,
Trinitatis mysteria
Cernentes cum laetitia.

4. His Christus specialiter
Ut dilectis conjungitur,
Quos olim singulariter
Magnis donis prosequitur.

5. A Martha, ejus hospita,
Recipitur et pascitur,
Mariae laxat debita,
Lazarus vitae redditur.

6. Illi sit laus et gloria,
Qui est sanctorum praemium,
Qui per Marthae suffragia
Nobis det coeli solium.

Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530.

367. De sancto Martiali.

1. Magna virum resonent Domini praeconia Christi,
Martialem lyricae reboent concorditer odae,
Gallia tota sonet citharizans et rhytmice plaudat.

2. Applaudant sistris sacra tympana, cymbala, aena,
Musica flabra movete modos fidibusque canoris
Laudis apostolicae jubilo resonando choreis.

3. Roma, Ravenna boent claris reboando camoenis,
Hierusalem, Nablis canat organa voce sonora,
Discipulo regis, cui constat apostolus ipse.

4. Concrepet urbs regis magni, quae est visio pacis,
Hierusalem, quam restaurare Deus venit ipse,
In qua discipulum rex Martialem sibi legit.

5. In qua lavit eum Petrus baptismate princeps,
Carne propinquus ei, Benjamin stirpe creato,
Marcello, Elisabeth genitoribus undique claris.

6. Ad sublimia apostolici quem culminis, inquam,
Culmine apostolico vexit soliumque thronumque
Rex et apostolicam dedit huic sedemque tribunal.

7. Legaleque dedit sceptrum, vis officiumque,
Inter bissenos proceres propriosque clientes
Nec non septuaginta duo, quae est aurea libra.

8. Intensis modulis pulchris fidibus variatis
Calliope, Thalia, Clio, Melpomene, Musae,
Euterpe soror Uraniaque canant modulando.

9. Sic Eratho cum Terpsichore, Polhymnia dulcis,
Tibicinumque chorus, cantorum turma resultent,
Martialem Domini patriarcham discipulumque.

10. Altisonae coeli turmae, clamate potenter,
Viribus angelicae totis cantate cohortes.
Quomodo sumpsit apostolicum jus, promite fibris.

11. Plausibus harmonicis verum super astra polorum
Dicemus, cantu, modulis per climata cosmi,
Rex legit sibi discipulum fecitque beatum.

12. Omnibus in terris memorandum luce venusta
Fecit eum decies septem geminisque colonis,
Bisseni quoniam pauci rariqne coloni.

13. Sic quoque paschali coena famulum sibi fecit,
Tartara post foribus clausis quem pneumate sanxit
Tradendo claves solvendi cuncta, ligandi.

14. Tantis reliquiis piscis mellisque refertum
Mox evangelicum per mundum spargere misit,
Aethera quem librans propria dextra benedixit.

15. Omnigenis linguis scitum paraclitus ipsum
Exhibuit testem, non vincendum neque victum,
Nam testatus ubique fuit magnalia Christi.

16. Lumen apostolicum deinceps quem flamen abire
Destinat ad Gallos, partemque suam dedit esse
Alpibus a Juliis usque ad montes Pyrinaeos.

17. Unde simul venit Siriam cum principe Petro.
Cui comes indisjunctus erat, quo nempe rogante
Semina spargebat fidei linguis populisque.

18. Sed post Romulidas adeunt, tum pontificali
Sede Petrum Martialis apostolus ad Lateranos
Cum Lino, Cleto, Senioribus inthronizavit.

19. Christus item Petrusque jubent propriam sibi sortem,
Sorte datam partem properet gentemque ferocem
Gallorum trahat ad vitam rapiatque barathro.

20. Rite subit Gallos gemino seniore sequente
Alpiniano, Austricliniano * * * utroque,
Lemovicaque duo testes in sede locarunt.

21. Insignem Domini missum clarumque clientem,
Martialem praeceptoremque suumque magistrum,
Qui regem Stephanum Gallos gentesque Aquitanas.

22. Subdiderat Christo, cujus hic apostolus, hic est
Discipulus, praesul, virgo martyrque propheta,
Virgo profecto fuit, martyrque propheta refulsit.

23. Tu, Siria, tu, Graecia, Hierusalem quoque Roma,
Gallia, Aquitana plaga, Tolosa, Lemovix,
Burdegala, Arvernus, Turonum, Biturica nec non,

24. Instanter laudate Deum, qui magnificavit
Martialem, coeli terraeque per omnia plaudant
Christo, cujus apostolus est per aeon sine fine.

Trop. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 11. Cod. Parisin. 909. Zweistimmig mit roten und schwarzen Neunen. — 20, 2 ist ein Wort ausradiert, vielleicht apostolo?

368. De sancto Maturino.

1. Pange, lingua, Maturini
laudes et praeconia,
Corde puro celebremus
ipsius solemnia,
Cujus vita et doctrina
coruscat ecclesia.

2. Maturinus, vir maturus,
ipse domat vitia,
A primaevo flore mundi
spernens hujus gaudia,
Hic parentes ab errore
vocat Dei gratia.

3. Caesar mittit provocatus
daemonis indicio,
Sed in mari fit tempestas
malignantis odio,
Excitatus liberavit
nautas a naufragio.

4. Ne lateret diu lucens
lucerna sub modio,
Filia Maximiani
vexata daemonia
Roma clade liberatur
ipsius suffragio.

5. Dum sanctorum circuiret
loca per triennium,
Migrat sanctus cum beatis
sortiturus praemium,
Nequit terra retineri
jam consors coelestium.

6. Unde stupens imperator
jubet, ut in Galliam
Reducatur cum honore
corpus et in patriam,
Cujus preces nos perducant
sanctorum ad gloriam.

7. Gloria et honor Deo,
virtus et imperium,
Uni, trino in personis,
creatori omnium,
Cujus dono Maturinus
sumpsit vitae bravium.

Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 476a. A. — Brev. Dolense imp. Parisiis 1519. B. — 5, 3 beatus A.

369. De sancto Maudeto.

Ad Vesperas.

1. Maudetus sacer, inclitus,
Natus ex Hibernia,
Regia puer genitus
Illustri prosapia,
Decimatus mox ut natus
Infans ab infantia.

2. Maudeti per solemnia
Laxa, Christe, debita
Et gregem tuum visita
Pietate solita,
Perennis reddatur vita
In coelesti gloria.

3. Maudeto coetus caecorum
It obviam, properat,
Lumen reddit oculorum,
Quovis morbo liberat,
Chorum sanat infirmorum
Et dolores temperat.

4. Maudetum tota gentium
Plebs laudat Hiberniae,
Pressum ferro consortium
Vincla solvit patriae,
Omnium coetus gentium
Sanat dono gratiae.

5. Maudete, pater inclite,
Opem nobis porrige,
Sancte doctor egregie,
Mala nostra corrige,
Coelestis regni patriae
Nos in viam dirige.

6. Maudete intercedente,
Rex, succurre miseris,
Pia matre deprecante
Serva nos ab inferis,
Te donante, concedente
Locet nos cum superis.

7. Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una patri filioque,
Inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

Brev. Lochense imp. Turonibus 1536.

370. De sancto Maurilio.

Ad Vesperas.

1. Te poli cives super astra, Christe,
Laudibus summis celebrant decenter,
Triplici nec non machinae pavescens
Pariter una.

2. Nosque quaedam pars operum tuorum
Te, Deus, nostri petimus creator,
Ut tibi puri mereamur hymnum
Pangere gratum.

3. Hac die, qua Maurilius caducam
Deserens vitam meruit supernam
Angelis sanctis sociatus aulae
Incola coeli.

4. Qui fuit fessis requies salubris,
Vita defunctis, medicina morbis,
Dum diu vita viguit caduca
Corpore sacro.

5. Valde mirandum fuit et stupendum,
Quod pius praesul puerum renatum
Septem expletis revocavit annis
Mortis ab antro.

6. Magna quod factum documenta praebent,
Rite transacto perhibemur aevo
Septimo mundi rediviva cuncti
Capere membra.

7. Sancte confessor, gloriose praesul,
Maurili, Jesum rogita benignum,
Ignibus ne nos rapiat tremendis
Flamma gehennae.

8. Sed novum tecum modulemur hymnum
Semper in coeli requie locati,
Qua Deus trinus moderans et unus
Cuncta gubernat.

Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. B. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb. 303. C. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 1273. D. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII^{0} 24^{2} E. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. F. — Str. 5 und 6 fehlen CD. — 7, 1 Summe praesul E.

371. De sancto Maurilio.

Ad Matutinum.

1. Hymnum choris coelestibus
Noster novum jungat chorus,
Jucundum hymnum concinat
Deo phalanx humillima.

2. In hac die, qua splendidus
Coelos petit Maurilius,
Qua mole liber carnea
Aeterna scandit gaudia.

3. Cujus sacrata pignora
Terras decorant infimas
Nec non nitore spiritus
Coelestis ordo pingitur.

4. Qui militavit strenue,
Dum mansit in hoc corpore,
Nec victus infortuniis
Nec evagatus prosperis.

5. Summo patri laus et honor
Et filio piissimo
Cum spiritu paraclito
Cuncto remoto termino.

Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb. 303. A. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 1273. B. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 24². C. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. D. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. E. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. F. — 1, 4 Deo psallens humillima B.

372. De sancto Maurilio.

Ad Laudes.

1. Urbs Andegava coelitus
Sortitur hunc episcopum
Prodente sancto spiritu
Et angelorum coetibus.

2. Hunc applicare possumus
Apostolorum sortibus,
Qui quatuor cadaverum
Resuscitator creditur.

3. Post inde quod miraculis
Sanctus fuit mirabilis,
Non expedire laudibus
Humana lingua suppetit.

4. Te, Christe rex, deposcimus,
Ut hujus interventio
Ab imminente criminum
Nos eruat periculo.

5. Ut cum supernus arbiter
In fine saëcli venerit,
Ubi manet Maurilius,
Vita fruamur perpeti.

6. Summo patri laus et honor
Et filio piissimo
Cum spiritu paraclito
Cuncto remoto termino.

Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. B. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Massilien. Eb. 303. C. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Parisin. 1273. D. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 24². E. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. F.

373. De sancto Mauritio.

Ad Vesperas.

1. Martyrum rector, diadema, splendor,
Palma sanctorum rutilans tuorum,
Vocibus nostris miseratus adsis,
Christe redemptor.

2. Nobilem gaudens hodie piorum
Martyrum plebs haec recitet triumphum,
Quo poli plenae legionis ordo
Regna petivit.

3. Hic Dei summi famuli fideles,
Militum sola specie tegentes,
Arma gestabant foris, at sub imo
Pectore Christum.

4. Civium turmam fide Christiana
Criminum ductu furiosa caedes
Abstulit ferro tumidique vecors
Ira tyranni.

5. Lenitas simplex! numerositate,
Viribus freti sed et apparatu
Bellico, saevis poterant ministris
Stare rebelles.

6. Eligunt mortem patienter omnes,
Mente devoti pereunt inulti,
Creditur teli, clypei vel ensis
Deneger usus.

7. Concidunt ergo pia membra passim,
Jam frequens densis ager est acervis,
Appetunt cuncti ferientis ictum
Sumere primi.

8. Trinitas perpes deitasque simplex,
Laus tibi semper cui gloriosus,
Martyrum coetus canit in supernis
Carminis odas.

9. Ut tibi regi pariter canentes
Cum tuis sanctis mereamur aulam
Ingredi coeli simul et beatam
Ducere vitam.

Brev. ms. S. Mauritii Turonen. anni 1343. Cod. Turonen. 145. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. C. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147. D. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisin. 1032. E. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 24^2. F. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. G. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. H. — Cod. Agaunen. 28. saec. 17. I.

1, 3 miserator I. — 2, 2 Martyrum coetus recitet I. — 3, 1 famulos fideles EI. — 3, 3 ac sub H. — Str. 4 fehlt I. — 4, 1 Militum turba F. — 4, 2 ducta FH. — 5, 1 Levitas H. — 5, 2 fretis EH. — 5, 3 Bellice H. — 6, 3 Ceditur F. — 7, 1 passum E. — 7, 2 frequens demptis E; est acervus EF. — 8, 1 Deitas simplex trinitasque perpes I. — 8, 2 In unitate cui gloriosus I. — Str. 9 nur in I.

374. De sancto Mauritio.

Ad Vesperas.

1. Coelum digne tripudiat,
Terra triumphis intonat,
Martyrum pro victoria
Hic orbis totus jubilat.

2. Ducitur turba nobilis,
Adscripta coeli titulis,
Hoste devicto jugulis
Supernis dives spoliis.

3. Imperatoris bravia
Cui perferuntur obvia,
Sic poli capitolia
Phalanx scandit purpurea.

4. O multum mitis legio,
O innocens confessio,
O consors virtus omnium,
Pati quibus et praemium.

5. O inter tanta milia
Unanimis constantia,
Vota mortis spontanea
Vitae reddunt commercia.

6. Ave, martyr egregie,
Mauriti, princeps militum,
Ave, fortis exercitus
Dux, Exsuperi, signifer.

7. Salve, testis dulcissime,
Victor simul et Candide,
Salve, beata legio,
Salvete, mundi lumina.

8. Oramus, vestris precibus
Culpis mundemur omnibus,
Ut agni juncti coetibus
Hunc prosequamur laudibus.

9. Salve, beata trinitas,
Manens perennis gloria,
Una creatrix omnium,
Quae regnas in perpetuum.

Brev. ms. Turonense anni 1343. Cod. Turonen. 145. A. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147. B. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisin. 1032. C. — Miss. ms. Belisianum saec. 15. Cod. Bruxellen. 9786—90. D. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. E.

1, 4 His totus D. — 2, 3 Telis aculeis (l.: acutis) rutilis D. — 2, 3 devicto proeliis D. — 3, 2 proferuntur C, referuntur D. — 3, 4 Astra scandit D. — 4, 1 O victrix semper legio D. — 4, 2 fehlt D. — 4, 3 Consors virtutis est omnium D. — 4, 4 Cunctis est proelium, Consors cunctis victoria. D. — 5, 1 O praeclara duella D. — 5, 2 Totis saeculis consona D. — 6, 3 Ave Victor dignissime D. — 6, 4 Cohortis ductor optime D. — 7, 2 Exsuperi piissime D. — 7, 3 Salve comes et legio D. — 7, 4 cosmi lumina D. — 8, 3 Jungamur piis coetibus D. — 8, 4 Agni sequamur choreas. D. — Str. 9 fehlt. D. — Vergl. den, wie man sieht, sehr abweichenden Text von D in Anal. Bolland. VI, 375.

375. De sancto Mauritio.

Ad Laudes.

1. O locum cultu venerande dignum,
Corporum qui tot meruit sacrorum
Sustinens moles fluvios recentis
Ferre cruoris.

2. Nec carens multo Rhodanus decore
Purpuram vicit rutilo rubore,
Vertices tinctus pretiosiore
Sanguinis unda.

3. Gaudio quali superi canora
Imperatoris stetit ad tribunal
In suum tantos numerans senatum
Curia coeli!

4. Mauriti princeps legioque sacra,
Digna pro Christo posuisse vitam,
Criminum nobis veniam potenti
Posce rogatu.

5. Eruti poenis ut ab inferorum
Coelicis inter mereamur esse
Civibus, regis Sabaot beata
Laude fruentes.

6. Hoc decus nobis miseratus unus
Praestet et trinus, cui gloriosus
Martyrum coetus canit in supernis
Carminis odas.

Brev. ms. S. Mauritii Turonen. anni 1343. Cod. Turonen. 145. A. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 105. B. — Hymn. ms. Andegavensis saec. 14. Cod. Andegaven. 106. C. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147. D. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisin. 1032. E. — Brev. ms. Andegavense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII^{0} 24^{2}. F. — Brev. Andegavense imp. Rotomagi 1504. G. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. H. — Cod. Agaunen. 28. saec. 17. I.

1, 1 venerante E, venerando H, potiore I. — 1, 3 Sanguinem fundens fluvios I. — 2, 1 Hec carens E, Non caret I. — 2, 2 vincens I. — 2, 3 Vertice tinctus F, Sanguine tinctus I. — 2, 4 Fluminis unda I. — Str. 3 fehlt I — 4, 1 legioque tota FI. — 4, 3 petenti FI. — Str. 5 fehlt I. — Doxologie lautet in I: Praestet hoc nobis deitas beata etc.

376. De sancto Mauritio.

1. Ad summi decus principis
Votiva surgunt gaudia,
Quae de sanctorum meritis
Solemnizat ecclesia.

2. In deitatis atrio
Cives praesultant coelici,
Et de novo collegio
Chori plaudunt angelici.

3. En, Thebeorum agmina,
En, sacer dux Mauritius
Dura ferunt certamina
Et sanctus Exsuperius.

4. Maximiani perfidi
Non verentur imperia,
Sed stant in fide solidi
Retenta sanctimonia.

5. Illibata sinceritas
Cordis in sanctis viguit,
Furit ergo crudelitas
Et mox in caedem irruit.

6. Laniatur mucronibus
Quisque sanctorum acriter
Et crebris tunsionibus
Coelum intrant alacriter

7. Fulgent ut astra vulnera,
Sanguis resplendet roseus,
Beata quorum funera,
Quae sol ditat empyreus.

8. Precamur ergo, Domine,
Qui martyres glorificas,
Da nos in trino nomine
Sedes habere coelicas.

Brev. ms. Arelatense saec. 14. Cod. Vatican. Burgh. A I 53. — 5, 3 Lücke von zwei Silben; furit ergänzt. — 8, 3 Da nobis.

377. De sancto Mauritio.

Ad Laudes.

1. Jesu, sanctorum militum
Corona, lux et speculum,
Patris decus, inolitum
Nostrum dele piaculum.

2. Qui gloriae collirio
Fixuras linis vulnerum,
Dans pro carnis martyrio
Sede locari superum.

3. Ecce, felix Mauritius
Et generosi comites
Bellis premuntur acrius,
Ut sint in coelo divites.

4. Obstant male jubentibus,
Nec adoratur statua,
Subdunt colla caedentibus,
Et terra fit irrigua.

5. Sanguis in rosas vertitur,
Et mors transit in gloriam,
Dum carnis vita perditur
Mentis depurans scoriam.

6. Mauriti, pater inclite,
Fac pro tua clementia,
Ut plebi tibi subditae
Superna dentur praemia.

7. Precamur ergo, Domine.

Brev. ms Arelatense saec. 14. Cod. Vatican. Burghes. A I 53. — 2, 3 Lücke von einer Silbe; pro ergänzt. — 4, 1 Abscant male. — 5, 4 deputans.

378. De sancto Mauritio.

Ad Vesp. et Laud.

1. Gaude, fidelis concio,
In martyrum solemnio,
Qui per mortis supplicia
Meruerunt coelestia.

2. Hi sunt, qui victis hostibus
Triumphant in coelestibus,
Et de quorum victoria
Gaudet coeli militia.

3. Mundano spreto culmine
In suo beant sanguine,
Sacro duce Mauritio
Coelos conscendit legio.

4. Tota coelestis curia
Sanctis occurrit obvia,
Jam securi de praemio
Regnant cum Dei filio.

5. Laudetur inde trinitas
In personis et unitas,
Regnans in coelo pariter
Unus Deus perenniter.

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. — 3, 2 lies: Suo beantur sanguine?

379. De sancto Mauritio.

Ad Matutinum.

1. Exsultet coelum laudibus,
Resultet clerus vocibus
Et mira pacis unio
Sacro tanto solemnio.

2. Haec sancta micat legio
Tanto duce Mauritio,
Profanis spretis cultibus
Quiescit in coelestibus.

3. Jam natio Thebetica
Pro legione coelica,
Sic locus Agaunensium
Summum fecit praesidium.

4. Dum conditur basilica,
Salus datur angelica
Fabro ritu malefico
Fabricari dominico.

5. Mater Quintini egregii,
Honorati eximii
Paralysique febribus
Solidatur martyribus.

6. Languores aegrotantium
Per legionis bravium
Sparsim curantur jugiter,
Christo sit laus selemniter.

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553.

380. De sancto Mauritio.

Ad Vesperas.

1. Puer sanctus veneratur
Coelorum obsequiis,
Frater fratris vitae datur
Tactu quoque meritis,
Rogi flamma mitigatur
Cedens membris teneris.

2. Aqua fluens sanctitati
Miro cedit ordine,
Mortui resuscitati
Sunt in Christi nomine,
Et leprosi sunt mundati
Semel loti flumine.

3. Sancto semel, ut scripturae
Finem daret citius,
Oris flatu miro jure
Lumen dedit dignitas,
Donec illa lucis purae
Vi scripsisset plenius.

4. Sibi fratres invidebant
Et propter miracula
Atque sibi faciebant
Dirae mortis pocula,
Sed venena fugiebant
Per crucis signacula.

5. Laus et virtus trinitati
Sit et benedictio,
Laus et honor unitati
Sitque jubilatio,
Patris, flaminisque nati
Compar sit laudatio.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510.

381. De sancto Mauritio.

Ad Laudes.

1. O coeli sidus, lucide
Mauriti et sanctissime,
Tuae confer ecclesiae
Divinae dona gratiae.

2. Ut Deo grates referat
Tibique laudes conferat,
Supremo preces porrigat,
Ut nos in pace protegat.

3. Tu solamen moerentium,
Tu consolator flentium,
Fave votis precantium
Pestemque pelle mentium.

4. Tu preces nostras suscipe
Et nos, pater piissime,
A trina morte protege
Mundi, carnis et Satanae.

5. Praestet hoc nobis coelitus
Pater, concedat filius
Et annuat paraclitus,
Trinus et unus Dominus.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510.

382. De sancto Maurontо.

1. Praeclarae vocis organo
Dentur laudes altissimo,
In quo gaudet per saecula
Maurontus, nostra gloria.

2. Hic nobilis prosapia,
Nobilior sed gratia,
Prae divinis obtutibus
Plenus mansit virtutibus.

3. Carnales pompas respuit
Parentesque postposuit,
Hos sibi vinxit pectori,
Quos novit fixos fidei.

4. Hinc Amatum amabilem
Amplexus est antistitem,
Quem pro devotis cultibus
Suis praefecit opibus.

5. O sacri fructus palmitis,
Qui quantum das dulcedinis,
Adhaerens vitis gustui,
Sub quo fit salus homini.

6. Sic, bone Jesu, redolent
Et hosce flores exhibent,
Quos alluis interius
De sacro fonte spiritus.

7. Hoc iste sanctus nectare
Perfusus ab hac specie
Mundi sermonis actibus
Te quaesivit in omnibus.

8. Hinc ejus felix anima
Tecum micat in gloria,
Cujus gratantes corpori
Servimus voto supplici.

9. Quem impetrando precibus
Des nobis opem, quaesumus,
Hic consequi solatia
Teque frui per saecula.

10. Laus, decus et imperium
Omne Deo per saeculum,
In quo laudetur unitas,
Glorificetur trinitas.

Cod. Bollandian. Ms. 48. saec. $^{10}/_{11}$. — 1, 4 nostri. — 5, 2 Quod quandum. — Aus den Hymnus folgt das Anal. XIII, 200 ff. mitgeteilte Officium des Heiligen.

383. De sancto Mellono.

Ad Vesp. et Laud.

1. Hymnum vocis personemus
cum cordis concordia,
Corda nostra conformemus
Cum vocis harmonia,
Ne psallendo discordemus
Tendentes in varia.

2. Ut Melloni corde mundo
Colamus solemnia,
Quem elegit ex hoc mundo
Dei providentia,
Ut hunc mundi de profundo
Transferret ad gaudia.

3. Baptizatus, ordinatus
A summo pontifice,
Ab angelo praesulatus
Honorem mirifice
Recipiens, primas datus
Est genti Normanniae.

4. Rotomagi constitutus
Praesul Christum praedicat,
Fulget signis, fatur mutus,
Lux in caecis emicat,
Christum vitam assecutus
Defunctus glorificat.

5. Claudi surgunt, et curatur
Quaelibet infirmitas,
Ejus verbo religatur
Daemonis improbitas,
Plebs in fide baptizatur,
Cedit infidelitas.

6. Ferro cinctus singulari
Pastus est cum fluvio
Pane, coeli confortari
Promeruit nuntio
Et a Christo coronari
In coeli palatio.

7. O Mellone, doctor bone,
Concivis angelice,
Destitutos in agone
Mundi clemens adspice
Et coelestis nos coronae
Participes effice.

8. Laus et honor sit gignenti
Personae cum filio,
Ab utroque procedenti
Laus et jubilatio,
Sine fine permanenti
Et absque principio.

Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 201. A. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII° 20. B. — Brev. Rotomagense imp. Rotomagi 1491. C.

384. De sancto Mellono.

Ad Matutinum.

1. Exsultemus venerantes
Melloni solemnia,
Mundo cordi concordantes
Linguam, dentes, labia,
Ne per partes discrepantes
Fiat discordantia.

2. Lingua cordi non discordet,
Ut fiat harmonia,
Cedat culpa, quae cor sordet
Et oris obsequia,
Et sit munda, quae remordet
Culpam, conscientia.

3. Ut possimus sic Mellonum
Mundo corde colere,
Qui tam summum Dei donum
Meruit accipere,
Ut hunc vellet in patronum
Normannis eligere.

4. Illos ergo praedicando
Rectam fidem docuit
Atque signis coruscando
Caecis lumen tribuit,
Claudis gressum, suscitando,
Quos jam mors occubuit.

5. Exstirpato Roti dolo
Fides est in lumine,
Ferro cinctus pane solo
Pascitur et flumine,
Post haec junctus est in polo
Cum sanctorum agmine.

6. Ipsum ergo deprecemur
Cordis desiderio,
Ut ipsius relevemur
Precibus a vitio
Et cum ipso collaetemur
In coelesti gaudio.

Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 201. A. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII°. 20. B. — Brev. Rotomagense imp. Rotomagi 1491. C. — 4, 5 Claudis gressum fehlt B.

385. De sancto Mitrio.

Ad Vesperas.

1. Exsultet plebs Aquensium,
Jubilet chorus civium,
Nam ejus civis civibus
Adjunctus est coelestibus.

2. Gaude, civitas inclita,
Cum ingenti tripudio,
Quia in aula coelica
Mitrius est cum gaudio.

3. Laetetur jam agricola,
Nam agri quondam incola
Verus degens christicola
Fruitur coeli gloria.

4. Cantemus omnes hodie
Christo regi jucundius,
In cujus aula gloriae
Sanctus jubilat Mitrius.

5. Praesta, pater piissime,
Mitrii piis precibus,
Ut jungantur facillime
Cives coelorum civibus.

Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1526. B.

386. De sancto Mitrio.

Ad Nocturnum.

1. Mitrium, Christi pauperum
Singulare refugium,
Ejus nec non martyrium
Celebret chorus civium.

2. Vineam quondam fertilem
Aquensis rex in atrio
Agrum nec non et uberem
Sancto commisit Mitrio.

3. Sed pauper pater pauperum
Ope suorum operum
Alebat uvis pauperes,
Claudos, caecos ac debiles.

4. Tunc rex velut daemonium
Plenus furore nimio
Praecepit sanctum Mitrium
Coronari martyrio.

5. Caput truncatum Mitrius
Proprium gestat manibus,
Campanae sonant civibus
In exstasi manentibus.

6. Corpus ejus inhumatur
In sedis cimiterio,
Aquis demum translatatur
Miro modo et vario.

7. Ad cujus sacrum tumulum
Ferunt aegrorum cumulum,
Sed sanat cunctum populum
Mitrii intecessio.

8. Praesta, pater sanctissime,
Ut in coelo laetissime
Cum sancto tecum Mitrio
Coelesti frui gaudio.

Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1526. B. — 1, 1 Mitrii A.

387. De sancto Mitrio.

Ad Laudes.

1. Aurorae lux dum rutilat,
Et ales cantus intonat,
Laudes concinant Mitrii
Senes nec non et parvuli.

2. Castus erat et sobrius,
Nullius mali conscius,
Totus erat amabilis,
Pius, prudens et humilis.

3. Hic ex Graecorum genere
Atque fidis parentibus
Erat et nunc in aethere
Fruitur jam coelestibus.

4. Vineam regis fertilem,
Agrum nec non et uberem
Dum custodiret, debilem
Fovebat atque pauperem.

5. Da nobis, pater, bibere
Vinum novum cum Mitrio,
Tecum sursum in aethere
In summo coeli atrio.

Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1526. B.

388. De sancto Moderanno.

Ad Vesperas.

1. Modus in rebus panditur
Nostro in hoc antistite,
Dum Moderannus noscitur
In suo moderamine.

2. Ortum suum mirificum
Patrem noscens proselytum
Clara monstrant primordia
Reversum citra maria.

3. Doctus sacro spiramine
Redonensi ecclesiae
Et literis et moribus
Fulget pontificalibus.

4. Ex devoto proposito
Valefecit Remigio
Urbem Romanam visitans,
Cujus defert reliquias.

5. Reliquit mundi gloriam.
Ad quam per Dei gratiam
Ut aeterna aquireret
Ex Berceto persuaderet.

6. Gaude, Berceti regio,
Sancti corpus in oppido,
In patre, prole, flamine
Habens divino munere.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — 3, 2 Redonensium. — Str. 5 verdorben.

389. De sancto Moderanno.

Ad Laudes.

1. Moderannus ut Moyses
Fontem rupit ut artifex,
Ille virga e silice,
Hic baculo ab ilice.

2. Notat quercus mirabilis,
Dum capsam cum reliquiis
Ramus mutat in alium,
Sancti patris hospitium.

3. Votis servorum annue
Te invocantum praesulem,
Te, pater, supplicantium
Audi preces laudantium.

4. Tu qui in albis vestibus
Sancto faris Tiberio,
Emunda nos a sordibus
Sumpto tecum Abundio.

5. Sit Christo decus gloriae,
Patri cum sancto spiritu,
Qui Moderannum hodie
Miro sublimat transitu.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — 1, 3 cilice. — 2, 2 casam. — 2, 3 steht hinter 2, 4 Hs. — 3, 1 anime. — 3, 2 Et bocando praesule. — 4, 2 steht hinter 4, 3 Hs. — 4, 2 farris. — 4, 4 Sumpto sancto Abundio; vgl. den folgenden Hymnus, Str. 3. — 5, 2 steht hinter 5, 3 Hs.

390. In Translatione s. Moderanni.

1. Dum, Moderanne pontifex,
Adest tua translatio,
Nobis, virtutum artifex,
Per te detur salvatio.

2. Helias de hoc saeculo
Transfertur mirabiliter,
Moderannus de tumulo
Elevatur solemniter.

3. Tu qui in albis vestibus
Sancto faris Tiberio,
Emunda nos a sordibus,
Sumpto tecum Abundio.

4. Quaesumus, auctor omnium,
Qui resurgens a mortuis,
Hunc Moderannum hodie
Honora cum reliquiis.

5. Gloria tibi, Domine,
Qui scandis super sidera,
Qui Moderanni hodie
Corpus pandis inmunera.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — 1, 1 Tu Moderanne pontifex Hs. — 3, 2 Facto faris Hs. — Str. 4 und 5 umgestellt Hs.

391. De sancta Monica.

Ad Laudes.

1. Laetetur plebs fidelium
Meritis sanctae Monicae,
Exsultet chorus praesulum
Ecclesiae catholicae,
Habemus ejus filium
Ducem doctrinae coelicae.

2. Quem ex ventre parturivit
Illa beata Monica,
Renasci Christo quaesivit
In doctrina catholica,
Piis votis concupivit
In vita eremitica.

3. Felix fructus nuptialis
Honestatis et pudoris
Et affectus vidualis
Dant odorem sui floris,
Nostrae vitae regularis
Nobis dant cibum dulcoris.

4. Te precamur, sancta mater,
Juvari tuis precibus,
Quam respexit Deus pater,
Sacratis in affectibus
Funde preces bis et quater
Corroboratis vocibus.

5. Deo patri jubilemus
Cum solemni cantico
Filioque laudes demus
Cum sono mirifico,
Utriusque decantemus
Nexui sanctifico.

Brev. ms. Augustin. anni 1469. Cod. Londinen. Add. 16891. A. — Brev. ms. Augustin. saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 544. B. — 5, 3 Filio laudes A.

392. De sancto Nad-Fraich.

1. Abbas probatus omnino,
Benedictus a Domino,
Cum caritatis fructibus
Doctor ecclesiasticus,

2. Electus Dei athleta,
Fidelis sine macula,
Gregis pastor subagrinus,
Humilis, supplex, submissus,

3. Ieiunus largissimus,
Kastus correctis moribus,
Lucerna erat in tota
Macculasrius Hibernia.

4. Nad-Fraich et sanctus filius,
Optimus Dei famulus,
Probatus, sapiens pariter,
Quem coronavit Dominus.

5. Requiescit post obitum
Securus in perpetuum
Tenebrarum rectoribus
Victis atque principibus.

6. Xristo cum suis omnibus
Ymnum canit coelestibus,
Zelus in quo fuit mirus
Dei prae participibus.

Hymn. ms. Hibern. saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Coll. S. Trinitatis Dublinen. E 41.
2. — 4, 2 Dei filius Hs.

393. De ss. Nazario et Celso.

Ad Vesperas.

1. Plaudat coelestis curia,
Mundus exsultet laudibus,
Regna confert coelestia
Christus suis militibus.

2. Ad coeleste rosarium
Rosam transvexit hodie
Nazarenus Nazarium,
Jesus, summus rex gloriae.

3. Pugil et martyr inclitus
Fit rosa per martyrium,
Virginitate praeditus
Candescit velut lilium.

4. Per odoris fragrantiam,
Quam profudit ex tumulo,
Patet, quantam munditiam
Conservavit in vasculo.

5. Ad celsum thronum gloriae
Puer Celsus attollitur,
Dum poenas contumeliae
Pro rege celso patitur.

6. Aeterno regi gloria
Pro martyrum virtutibus,
Qui nobis coeli gaudia
Praestet eorum precibus.

Brev. Biterrense imp. Lugduni 1534.

394. De ss. Nazario et Celso.

Ad Laudes.

1. Adest triumphus nobilis
De beatis martyribus,
Quos Christus, rex mirabilis,
Coronat in coelestibus.

2. Pugnat verbo, miraculis,
Fortis pugil Nazarius
Et devictis incredulis
Christi refulget radius.

3. Verbis ac signis emicans
Mittitur in exsilium,
Fidem constanter praedicans
Trahitur ad martyrium.

4. Celsus sequens Nazarium
In excelsum deducitur
Per celsum regem omnium,
Pro quo gaudens occiditur.

5. Aeterno regi gloria.

Brev. Biterrense imp. Lugduni 1534.

395. De sancto Nicolao.

1. Coeli laetentur sidera,
Orbis resultent climata,
Tellus omnis tripudiet
In hac die solemniter.

2. Quae Nicolai transitu
Dicatur et virtutibus,
Cujus prima miracula
Fuerunt sat insignia.

3. Nam semel in hebdomada
Quarta sextaqne feria
Matris sugebat ubera
Christi praeventus gratia.

4. Aureis dehinc sumptibus
Stuprum compressit virginum,
Quarum patris inediam
Vitae supplevit copia.

5. Emissa voce coelitus
Praesul urbis eligitur
Sicque sacratur Domino
Pastor clarus in populo.

6. Victum sibi petentibus
Attenuatis civibus
Acceptum dedit triticum,
Quod auxit sacris precibus.

7. Tres innocentes pueros
Mortis solvit a vinculo,
Quos consulis sententia
Mori male dictaverat.

8. Caesarem visu territat,
Stratilates ne perimat,
Quos trudi ferro fecerat
Invidorum nequitia.

9. Quem Dianae sub specie
Hostis temptavit laedere,
Sed ope fretus Domini,
Victus ab eo abiit.

10. Quos magis fragor minitat,
Navitis, adsum, clamitat,
Pacata sulcant aequora
Remeantes ad propria.

11. Postquam tantis miraculis
Vir sanctus mundo claruit,
Poli scandit ad aethera
Regnaturus in gloria.

12. Cujus sacrum ad tumulum
Aegri quam plures veniunt,
Ubi receptis viribus
Laeti ad sua redeunt.

13. Surdis auditus redditur,
Lumen caeci recipiunt,
Effugantur daemonia,
Febris sedatur valida.

14. Jam deprecemur Dominum,
Quem sempiternum credimus,
Annuat votis omnibus
Hujus festum colentium.

15. Sit laus patri ingenito
Ejusque unigenito
Una cum sancto spiritu
In saeculorum saecula.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. A. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 5676. B. — 3, 2 Quartam A: Quartam sextamque feriam B. — 4, 3 inedia B. — 6, 4 ausit B. — 7, 3 Quos consilii B. — 9, 3 Sub ope A. — 10, 1 immittat B. — 10, 2 Nautis B. — 12, 1 Hujus B. — 13, 3 Effugiunt B.

396. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Festum colentes annuum
Jesus, redemptor omnium,
Nicolai precatibus
Eripiat criminibus.

2. Qui bino in hebdomada
Matris contempsit ubera,
Cultum exercens Domini
Ipsius a cunabulis.

3. Jactansque auri copiam,
Vanam respuens gloriam,
Famem repellit inopum,
Stuprum exsecrans virginum.

4. Electus est divinitus
Episcoporum precibus
Voce vocante Domini
Ad gradum sacerdotii.

5. Nautis quassatis graviter
Clamantibus suppliciter:
O Nicolae inclite,
Suffragium attribue,

6. Vir tantum splendidissimus,
Nicolao simillimus
Apparet super aequora
Referentibus talia.

7. Ad aulae cujus limina
Tendunt quidem vestigia,
Prodigia ostendere,
Jesu, redemptor unice.

8. Tres consternatos pueros
Neci crudeli deditos
Confidenter eripuit,
Pristinae vitae reddidit.

9. Laus tibi sit perenniter
Trine uneque Domine,
Creata salvans omnia
Continua per saecula.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. A. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Univers. Bononien. 2676. B. — 1, 2 Jesu A. — 5, 2 Clamantes hunc suppliciter A. — 6, 1 Vir tantis splendidissimis A. — 6, 2 Nicolao similibus A. — 7, 1 aulas A, aulam B. — Dieser Hymnus ist uns in einer Turiner Handschr. des 15. Jahrhunderts in sehr abweichender, durchschnittlich korrekterer Fassung überliefert. Da eine blosse Aufführung der Abweichungen unterm Text die Übersicht zu sehr beeinträchtigt hätte, vgl. man die beiden folgenden Nummern.

397. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Festum colentes annuum
Jesu, redemptor omnium,
Nicolai nos precibus
Eripe a criminibus.

2. Qui bino in hebdomada
Matris contempsit ubera,
Cultum exercens Domini
Ab ipsius cunabulis.

3. Jactansque auri copiam,
Vanam respuens gloriam,
Famem repellens inopum,
Stuprum exsecrans virginum.

4. Electus est divinitus
Episcoporum precibus,
Voce vocante Domini
Ad gradum sacerdotii.

5. Nautae quassati graviter,
Clamantes hunc suppliciter:
O Nicolae inclite,
Suffragium attribue.

6. Vir statim splendidissimus,
Nicolao simillimus,
Apparet super aequora
Referentibus talia.

7. Aufer mortis dispendia,
Profer vitae stipendia,
Quo carnis post exsilia
Tecum simus in gloria.

Brev. ms. Ulciense saec. 15. Cod. Taurinen. Palat. 11. — 7, 2 Praefer.

398. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Ad aulae cujus limina
Tendunt quidam vestigia,
Oleum exsecrabile
Ferunt illi pro munere.

2. Dictu quod est mirabile,
Mari jubet infundere,
Contra naturam aequora
Per longa ardent spatia.

3. Innocentes tres pueros
Neci crudeli deditos
Confidenter eripuit,
Pristinae vitae reddidit.

4. Vacans adhuc in corpore
Prodigia ostendere
Non cessat ille plurima
Velatus carne lutea.

5. Hujus oratu praesulis
Tuis impende famulis
Divino sacro munere,
Jesu, redemptor unice.

6. Praesta, pater ingenite,
Jesu cum sancto flamine,
Ut Nicolai precibus
Jungamur in coelestibus.

Brev. ms. Ulciense saec. 15. Cod. Taurinen Palat. II. — 5, 3 lies Divina sacro?

399. De sancto Nicolao.

Ad Vesperas.

1. Pange, lingua, gloriosi
Nicolai meritum,
Gesta patris gratiosi
Lauda laude debita,
Cujus actus pretiosi,
Cujus vita inclita.

2. Ex illustri procreatus
Vir iste prosapia,
Quam futurus sit beatus,
Monstrat in infantia,
Matris mammas dedignatus
Quarta, sexta feria.

3. Crevit puer et vacabat
Literarum studiis,
Se immunem observabat
A mundi deliciis
Et se semper sequestrabat
A cunctis lasciviis.

4. Laus sit patri, laus sit proli
Laus sancto spiritui,
Uni Deo, vero, soli,
Qui non potest minui,
Qui meretur semper coli,
Adorari, metui.

Brev. ms. Fratrum Hospitalis S. Johannis saec. 15. Cod. Massilien. Eb 302. A. — Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186. B. — Hymn. c. Commento saec. 13. Cod. Mantuan. E I 14. C. — 1, 4 Laude lauda B. — 2, 5 indignatus C. — 3, 3 Set immundum B. — Dieser Hymnus, der mit den beiden folgenden im Grunde nur einer ist, scheint nach dem Vorkommen in den Quellen zu schliefsen ein Produkt des Oriens Latinus zu sein.

400. De sancto Nicolao.

Ad Nocturnum.

1. Nicolaus sublimatur
Summo sacerdotio,
Dignus enim nuntiatur
Praesulis officio,
Quod divina vox testatur
Lapsa coeli solio.

2. Ab ipso non affectatur
Honor vel praelatio,
Sed coactus vi vocatur
A coelesti nuntio,
Ordinatus consecratur
Cum ingenti gaudio.

3. A defunctis suscitatur
Defunctus in bivio
Naufragansque liberatur
Pastoris auxilio
Triticum multiplicatur
Ipsius imperio.

4. Laus sit patri, laus sit proli,
Laus sancto spiritui,
Uni Deo, vero, soli,
Qui non potest minui,
Qui meretur semper coli,
Adorari, metui.

Brev. ms. Fratrum Hospitalis S. Johannis saec. 15. Cod. Massilien. Eb 302. A. — Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14/15. Cod. Parmen. Palat. 186. B. — Hymn. c. Commento saec. 13. Cod. Mantuan. F I 14. C. — 1, 1 honoratur BC. — 2, 3 coactus sic vocatur C.

401. De sancto Nicolao.

Ad Laudes.

1. Aurum datur, ut tollatur
Virginum infamia,
Atque patris effugatur
Per sanctum inopia,
Et per auri baptizatur
Judaeus indicia.

2. Ut testatur et explanat,
Qui vidit, marmorei
De sepulchri loco manat
Sancti liquor olei,
Quo linitos aegros sanat
Verus cultor fidei.

3. Caecis lumen reparatur,
Mutis lingua solvitur,
Quibus auris obturatur,
His auditus redditur,
Claudo gressus restauratur
Et sospes regreditur.

4. Laus sit patri, laus sit proli,
Laus sancto spiritui,
Uni Deo, vero, soli,
Qui non potest minui,
Qui meretur semper coli,
Adorari, metui.

Brev. ms. Fratrum Hospitalis S. Johannis saec. 15. Cod. Massilien. Eb 302. A. — Hymn. c. Commento saec. 13. Cod. Mantuan. E I 14. B. — 1, 1 Unde datur A. — 2, 6 cultor Domini A gegen den Reim. — Str. 3 fehlt A.

402. De sancto Nicolao.

1. Fecundavit hic steriles
Harum sumens suspiria,
Aegros, mortuos, debiles
Suscitavit clementia.

2. Huic vir dat custodia
Bona, perduntur omnia,
Mala suffert haec impia,
Gaudet relatis patria.

3. Arbor scinditur munere
Plures perdens itinere,
Ire Diana cogitur,
Nec amplius hic colitur.

4. Satan oleum contulit
Nautis sanctoque obtulit,
Cujus jussu id spargitur,
Mari rogus succenditur.

5. Puer in mare cecidit
Hauriendo nec mergitur,
Pater scyphos tunc obtulit,
Salvus templo hic redditur.

6. Pressum perjurum suscitat
Et elemosynario
Vitam reddit, vivificat
Suffocatum daemonio.

7. Manat oleum tumulis
Myrae jugiter copia,
Precans affluit populus,
Mala curantur varia.

8. Trinitati mirificae
Sit laus ingens et gloria
Genitricique deicae
Hic et perenni curia.

Antiph. ms. Confrat. S. Nicolai saec. 15. Cod. Mazarin. 464 (261). — 4, 1 Tante oleum Hs. Cfr. Lombardica historia, 1483 fol. d 1.

403. De sancto Nicolao.

In 2. Vesperis.

1. Solemnis est haec feria,
In qua sacerdos nobilis,
Nicolaus egregius
Ascendit coelos arduos.

2. Et nos amore debito
Debemus laudes dicere,
Confessor fuit inclitus
Et clarus in virtutibus.

3. Carus Deo et hominibus
Et laudibus et actibus,
Ac modo suis meritis
Praesidium fert populis.

4. O sacerdotum gloria,
O magna lux ecclesiae,
Dum praestas gregi pabula,
Cordis pandis mysteria.

5. Nicolae, nostrum decus,
Fretus divino oraculo
Tu contempsisti saeculum
Et invenisti Dominum.

6. Proferimus te laudibus
Et postulamus precibus,
Ut tuis nos suffragiis
Liberes a periculis.

7. Deo patri sit gloria.

Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. — Mel.: Jesu, redemptor omnium, perpes corona praesulum. — 3, 1 Dilectus Deo et. — 6, 1 Perferimus.

404. In Translatione s. Nicolai.

Ad Vesperas.

1. Tali cive progenito
Laetare, parens Patera.
Qui capit coeli abdito
AeternaChristi munera.

2. Myrrea, plaude manibus,
Rectoris tanti munere
Praecellis civitatibus
Jam lucis ordo sidere.

3. Barrum vero prae ceteris
Corde voceque jubilat,
Cum jam ei de superis
Aurora lucis rutilat.

4. Devotis tuis famulis
Feras opem auxilii,
Dans serviendum Apulis,
Summi largitor praemii.

5. Laus et perennis gloria
Deo totis affectibus
Dicat mater ecclesia,
Exsultet coelum laudibus.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. — 1, 3 caput. — 2, 3 Rectoris causa munere. — 4, 3 Das serviendum.

405. In Translatione s. Nicolai.

Ad Laudes.

1. Ut viso tui tumulo
Releventur, in agmine
Currunt populi sedulo
A solis ortus cardine.

3. Seniores et parvuli
Gaudent in ejus gloria,
Dans pietate famuli
Beata nobis gaudia.

2. Pro expulsis languoribus
Vox gratiarum resonat,
Condignisque clamoribus
Vox clara, ecce, intonat.

4. Expelluntur daemonia
Tumba ejus saepissime,
Tibi ergo sit gloria,
Aeterne rex altissime.

5. Laus et perennis gloria.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatic. Ottobon. 543. — 1, 1 Ut viso tuis. — 1, 2 Relevent. — 3, 3 Dans pietate.

406. In Translatione s. Nicolai.

Ad Nocturnum.

1. Confessoris Nicolai
redeunt solemnia,
Qui in cunis adhuc jacens
servando jejunia
A papilla coepit summa
promereri gaudia.

3. Nicolaus naufragantum
adfuit praesidio,
Quem decorat super omnes
Dianae destructio,
O quam probat sanctum Dei
farris augmentatio.

2. Hic est, per quem puellarum
deletur infamia,
Per quem patris earundem
servatur inopia,
Cujus fuit dignitatis
vox de coelo nuntia.

4. Ex ipsius tumba manat
unctionis copia,
Quae infirmos omnes sanat
per ejus suffragia,
Sanitati cedit morbus,
fugantur daemonia.

5. Nunc quapropter supplicantes
illi preces fundimus,
Ut dignetur nobis Christum
facere propitium,
Quem amavit, cum quo regnat
nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n.

407. In Translatione s. Nicolai.

Ad Laudes.

1. Adest ejus translatio,
Qui in coeli palatio
Angelorum consortio
Fovetur et obsequio.

2. De Myreis litoribus
Barae portatus navibus,
Membra multorum morbida
Dono Dei dat vivida.

3. Nicolaus egregius,
Clemens, benignus et pius,
Binos exstinctos corpore
Vitae donavit munere.

4. Ab omni nos contagio
Tuo munda suffragio,
Ut in coeli solatio
Simus cum Dei filio.

5. Gloria tibi, Domine.

Antiph. ms. S. Nicolai Friburgen. s. n. saec. 15. A. — Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. B. — Brev. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. C. — Brev. Sedunense imp. s. l. et a. D. — Brev. Lausannense imp. Gebennis 1509. E. — 1, 1 Absit ejus turbatio D.

408. De sancto Niniano.

In 1. Vesperis.

1. Christe, qui rex es gloriae,
Caput sanctorum omnium,
Tu Niniano gratiae
Tuae dedisti praemium.

2. Ortus regali semine
Clarae puer est indolis,
Vir veritatis lumine
Dat vitam pastor incolis.

3. Pictis junctis Britonibus
Turmis duarum gentium
Mercatur in coelestibus
Regionem viventium.

4. Regem percussit ultio,
Vir Belial qui fuerat,
Sanatur et devotio
Pia mitem reddiderat.

5. A mortis solvit vinculo,
Quem taurus perforaverat,
A mortis et periculo
Vir undis raptum liberat.

6. Aegris se reddit habilem
Multos curans miraculis,
Deum sibi placabilem
Beatis videns oculis.

7. Praesta, Christe, victoriam
Nobis devictis hostibus,
Niniani memoriam
Vitam confer agentibus.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — 4, 3 lies Sanatur cum?

409. De sancto Niniano.

Ad Laudes.

1. Adest dies laetitiae
Niniani pontificis,
Quo stolam sumpsit gloriae
Choris septus angelicis.

2. Plaude, turba fidelium,
Patris colens solemnia,
Ejus laudans praeconium,
Qui suis dat praesidia.

3. In paradiso ecclesiae
Virtutum ex dulcedine
Spiramen dat aromatum
Ninianus coelestium.

4. Hic Ninianus sumitur
Calcata lucta saeculi,
Coelum victor ingreditur
Cum turmis multi populi.

5. Jesu, rector luctantium,
Tua nos rege gratia
Supplantando daemonium,
Mundum, carnem justitia.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510.

410. De sancto Niniano.

In 2. Vesperis.

1. Plaudat turba fidelium
Novis productis canticis,
Promat laudis praeconium
Niniani pontificis.

2. Cujus doctrina et monitis
Gens graditur feliciter,
Errorum ab illicitis
Conversa est salubriter.

3. Virga vetus Mosaica
Et baculus antistitis
Signa conformant coelica
Niniani pro meritis.

4. Virga mare dividitur
Ducatum praebens populo,
Unda maris reflectitur
Navem regente baculo.

5. Aqua fluxit de lapide
Hebraeum potans populum,
Exivit fons a cuspide
Baculi mittens rivulum.

6. Virga legalis arida
Frondes, flores produxerat,
Tali virtute valida
Baculus arens creverat.

7. Imber invasit codicem,
Dum mens vacaret otio,
Undae suspendit laticem
Labens mentis oratio.

8. In mundo laude egregia
Florebat mirabilibus,
Nunc est in coeli curia
Vivens cum sanctis omnibus.

9. Laus trino et uni Domino
Sit, qui est sine termino,
Qui Niniani precibus
Nos jungat coeli civibus.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1510. — 7, 3 Inundans suspendit laticem. — 7, 4 Nos fehlt.

411. De sancto Onufrio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Lingua festum mente pura
Psallat nostra eremitae,
Quem ad sanctitatem vitae
Gloriosa duxit cura.

2. Hic qui fore excellenter
Eremi cultor testatur,
Cum per sexaginta fatur
Annos vixisse silvester.

3. Donum prophetiae latum
Fertur ipsum attigisse
Coronamque laureatum
Confessorum meruisse.

4. Martyrumque si negatur
Aureola sibi dari,
Majus donum concedatur
Posse in coelo compraestrari.

5. Diu fame agitatus
Est spe vitae jam remota,
Divo cibo visitatus
Est paene anima tota.

6. Tu qui Christo placuisti,
Sancte Onufri, rogamus,
Ut per te illuc vadamus
Ad palatium, quo isti.

7. Trinitatem non cessemus
Sonorique fistula
Collaudare frequentemus
Per infinita saecula.

Brev. Ordinis ss. Trinitatis imp. Valentiae 1519. — 3, 3 laureatam. — 6, 4 ivisti. — 7, 2 ist verdruckt und fehlt eine Silbe; vielleicht l.: Sono orisque fistula?

412. De sancta Opportuna.

Ad Vesperas.

1. Opportunae celebremus
Virginis solemnia,
Digne Deum collaudemus
Ex ejus memoria,
Ut per ipsam penetremus
Ad coeli fastigia.

2. Haec est virgo virginali
Reposita regia,
Quam meruit temporali
Vita Dei gratia,
Coelo sita triumphali
Coruscat in gloria.

3. Ore, corde memorari
Hujus vitam virginis
Debent omnes et laetari
Laude celsitudinis,
In qua Christus coronari
Jubet mundam criminis.

4. Hujus aetas puerilis
Currit in duritia,
Probat, ut sit haec senilis,
Carnis abstinentia,
Tota Christo fit servilis
In ejus vestigia.

5. Pulchro latet apparatu
Cubilis asperitas,
Genuflexum non reatu
Invitat humilitas,
Mira facta sacro flatu
Pangit Christi claritas,

6. O quam mitis consolatrix
Erat haec sororibus,
O quam jugis operatrix
Sub divinae legibus,
Ut in Christo triumphatrix
Esset vitae moribus.

7. Nunc, benigna, Christum ora
Praesenti pro populo,
Qui leonis fregit ora
Resurgens a tumulo,
Ut tremenda mortis hora
Eruamur vinculo.

8. Summo patri decantemus
Laudes atque filio,
Pneuma sanctum invocemus,
Ut ejus auxilio
Cum beatis habitemus
In coeli palatio.

Collect. ms. hymn. saec. 18. Cod. Parisien. 1094. — 7, 1 Hunc benigna.

413. De sancta Opportuna.

Ad Completorium.

1. Jesu, corona virginum
Tuarum, nostris luminum
Splendorem mitte cordibus
Virginis almae precibus.

2. Ut in te semper vigilet
Mens nostra et assimilet
Nos supernorum civibus
Somni pulsis torporibus.

3. Quaesumus, auctor omnium,
Per hoc paschale gaudium
Mortis impetum eruas
Culpasque nostras diluas.

4. Gloria tibi, Domine,
Patri cum sancto flamine,
Qui resurgens a mortuis
A morte tuos eruis.

Collect. ms. hymn. saec. 18. Cod. Parisien. 1094.

414. De sancta Opportuna.

Ad Laudes.

1. Pia mater ecclesia
Gaudet in Christi filia,
Quae mundi spernens gaudium
Meruit vitae praemium.

2. Virgo sancta virgineo
Dinummerata cuneo,
Nobili nata genere
Christo se junxit foedere.

3. Per syllabas ostenditur
Cum Opportuna legitur,
Quod magna constat nomine,
Magna stat coeli culmine.

4. Lampas ornata virginis
Est oleo dulcedinis,
In fide nexa caritas
Hanc laudat, spes et castitas.

5. Haec ad summa respiciens,
Haec terrena despiciens,
Vitae palmam martyrio
Sumpsit absente gladio.

6. Ergo precemur Dominum,
Qui est corona virginum,
Ut Opportunae precibus
Regnemus in coelestibus.

7. Sit Trinitati gloria,
Sint laudes et praeconia,
Et nos preces angelicae
Excusent coram judice.

Collect. ms. hymn. saec. 18. Cod. Parisien. 1094.

415. De sancto Patricio.

1. Ecce fulget clarissima
Patricii solemnitas,
In qua carne deposita
Felix transcendit sidera.

2. Qui mox a pueritia
Divina plenus gratia
Vitam coepit diligere
Dignitatis angelicae.

3. Hic felici prosapia
Ortus est in Britannia
Perceptoque baptismate
Studet ad alta tendere.

4. Sed futurorum praescius,
Clemens et rectus Dominus
Hunc direxit apostolum
Hiberniae ad populum.

5. Erat namque haec insula
Bonis terrae fructifera,
Sed cultore idolatra
Mergebatur ad infima.

6. Ad hanc doctor egregius
Adveniens Patricius
Praedicabat gentilibus,
Quod tenebat operibus.

7. Confluebat gentilitas
Ad ejus sacra monita
Et respuens diabolum
Colebat regem omnium.

8. Gaudebatque se liberam
Remeasse ad patriam,
Qua serpentis astutia
Olim expulsa fuerat.

9. Qua propter, dilectissimi,
Hujus in laude praesulis
Psallamus Christo cordibus
Alternantes et vocibus.

10. Ut illius suffragio
Liberati a vitio
Perfruamur in gloria
Visione angelica.

11. Laus sit patri, sit filio
Cum spiritu paraclito,
Qui suo dono gratiae
Misertus est Hiberniae.

Hymn. ms. Hibernicus saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Coll. ss. Trinitatis Dublinen. E. 41. 2. A. — Antiph. ms. Kilmonense saec. 15. Cod. Coll. ss. Trinitatis Dublinen. B. 1. 5. B. — 2, 1 a fehlt B. — 3, 4 ad fehlt B — 5, 3 idolatria B. — 8, 2 Remease A. — 9, 4 Alternando in B. — 11, 1 patri in filio B. — 11, 4 Insertus est B.

416. In Conversione s. Pauli.

Ad Tertiam.

1. O vas electum, Paule, doctor magne,
Nostri memento pie supplicando
Regi aeterno, opifici nostro,
Quem colit orbis.

2. Qui te coelitus affatus est clare,
Gratia celsa replevit abunde,
Posce eundem, quo veniam nobis
Tribuat cunctis.

3. In ejus regno gratulemur semper,
Quem nationes cunctae crediderunt
Deo jubente, unum Deum fore,
Salvet qui nosmet.

4. Bonitas summa trinitatis almae,
Quae peccatores ad te gratis vocas,
Tibi ovanter concinendo laudes
Prominus omnes.

Brev. ms. Montis Romarici anni 1600. Cod. Parisien. Nouv. acq. 1545.

417. In Conversione s. Pauli.

Ad Laudes.

1. O Paule, miles inclite
Fortis et in certamine,
Monstras tuo qui dogmate
Vitam perennis gloriae.

2. Audi tuorum dulcia
Vernaculorum carmina,
Quae concinunt gratissimo
Praedicatorum gaudio.

3. Cum floruisti corpore,
Mundum replesti lumine,
Nunc Abrahae vernantibus
Laetus quiescis sedibus.

4. Pater pius, pastor bonus
Multis fuisti gentibus,
Has recreando flamine,
Illos docendo famine.

5. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. Dervense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Calmontan. 30.

418. In Translatione s. Pauli Narbonensis.

Ad Vesperas.

1. Devotioni priscae rependentes
Exhilarati mente jubilemus
Exteriusque laudis proferamus
Dulciter hymnum.

2. Die nam isto, qui nos praecesserunt,
Corpus sacrati Pauli ambientes
Translatione tumulo levarunt
Ab imo sursum.

3. Dumque pernixi licet reverenter
Super columnas marmoris advectum
Hunc nequivissent commode locare,
Gratia viget.

4. Dimissus enim ad tempus inepte
Trinae aptatur dextera virtutis,
Nullo adjecto ipso quo tunc modo
Nunc quoque manet.

5. Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra coeli residens cacumen
Totius mundi machinam gubernat
Trinus et unus.

Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535.

419. In Translatione s. Pauli Narbonensis.

Ad Laudes.

1. Tis ingressus et obitus
Et tumuli translatio
Sunt de amore ratio,
Quod sis Narbonae insitus.

2. Quid honoris aut duliae
Quivit plebs, quod non egerit
Abunde vel non dederit,
Paule, tibi, egregie?

3. Ergo fave supplicibus
Mundo, quasi ad vesperam
Qui fluctuatur perperam,
Finem indicit casibus.

4. Exturbatores contere,
Gregem fove mirifice
Insitusque sis Narbonae
Et nos ad coelos dirige.

5. Deo patri et filio.

Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535.

420. De sancta Perpetua.

In 1. Vesperis.

1. Jesu, sanctorum omnium
Corona, palma, praemium,
Digne festum Perpetuae
Celebrare nos annue.

2. Qui fecisti de bestia
Lictorumque saevitia
Triumphare Perpetuam
Coronam dans perpetuam.

3. Quocunque nos lacessere
Vel contra nos insurgere
Temptat hostis, succumbere
Fac ipsum et nos vincere.

4. Te deprecamur largius
Supplicantes obnixius,
Ut post collatam gratiam
Nobis praestes et gloriam.

5. Praesta, pater piissime.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Aniciens. s. sign. — 1, 1 sanctorum tuorum omnium. — 4, 2 obnoxius. — In dem auf Befehl des Bischofs Juste de Serre 1624 zu Le Puy gedruckten Sanctorale oder Proprium ist der Hymnus schon total verändert.

421. De sancto Petro.

1. Principum princeps, Domini converse,
Piscator mundi, venerande Simon,
Pastorum summe, benedicte Petre,
Genitor artis.

2. Fide devota, caritate firma
Speque gaudenti, petimus, adesto,
Adsumus modo tibi famulantes,
Suscipe carmen.

3. Pectore puro Domini confessor
Ecclesiaeque fidei fundator,
Filius sancti spiritus vocaris
Atque bearis.

4. Jubente Jesu mare superasti,
Fluctus horrendos pavitans calcasti,
Sic fide magna pelagus transisti
Munere Christi.

5. Potens, insignis, radians doctrinis,
Amore plenus, pietate dulcis
Surgere facis rediviva membra
Corporis umbra.

6. Coelorum claves et oves pascendas
Redemptor noster tibi commendavit,
Per crucis mortem subiturum palmam
Mystice prompsit.

7. Omni cum laude memorande nimis,
Modulis cordis recolende semper,
Affectu toto rogitande pater,
Noster amator.

8. Jam, pie Petre, lacrimarum undis
Omnium dele famulorum culpas,
Aperi coelum animasque nostras
Suscipe clemens.

9. Praestet hoc nobis pater, orbis rector,
Concedat Deus genitus aeternus,
Tribuat sanctus spiritus aequalis
In deitate.

Psalt. ms. S. Vincentii Cenomannen. saec. 15. Cod. Cenomannen. 134. — Vor Str. 5 Divisio. — 7, 3 rogitantes. — 9, 3 sancti.

422. De ss. Petro et Paulo.

1. Christi, patris in dextera
Sedentis super aethera,
Post Judaeorum flagella,
Post egressum de gehenna

2. Spiritus sancti gratia
Repleti sunt repentina
Cum cunctarum notitia
Linguarum multifaria.

3. Revelantes mysteria
In saeculis abscondita,
Futura et praeterita
Ac praesentia abdita,

4. Hymnos, psalmos et cantica
Atque sacra libamina
In multa patientia
Et caritate fraterna

5. Offerebant tam placita
Deo per summa studia
Vitae suae per tempora
Beatissima prospera.

6. Talenta evangelica
Sancta non sine usura
Reddentes in dominico
Regni gazophylacio.

7. Coelo aequale meritum
Est habere perhibitum,
Una die ad Dominum
Se pergendo altissimum.

8. Adepti post martyrium
Vocationis bravium
Et sanctae contubernium
Trinitatis perpetuum.

9. Non habentis initium
Nec non et finem dierum,
Cujus honor, imperium
Permanebit in saeculum.

10. Quos Dominus ad superna
Revocavit cum gloria.
. . . . . .
. . . . . .

11. Deus, dele flagitia
Nostra, pater, tam plurima
Tua magna clementia
Et pietate nimia.

12. Per sanctorum suffragia
Apostolorum fortia,
Petri, clavicularia
Cui data potentia,

13. Pauli et tali gloria
In divina sententia
Et per Christum in saecula
Dominantem infinita.

Hymn. ms. Hibern. saec. 10/11. Cod. Franciscan. Dublinen. s. n. — 7, 4 peragendo.

423. In Cathedra s. Petri.

1. Beati Petri precibus placatus
Veniam nobis tribue culparum
Hujus et vitae commoda dignanter,
Deus, concede.

2. Hunc diem sacrum tuis ita cede
Famulis digne celebrare semper,
Quo post hanc vitam mereamur coeli
Scandere regna.

3. Beate Petre, tuum qui devote
Celebrant festum, miseratus fove
Scelerum atque potestate magna
Vincla dissolve.

4. Judicis iram miseratus placa,
Pestem et morbos, languores repelle,
Fidei, spei, caritatis bona
Impetra nobis.

5. Gaudet jam terra tuo decorata
Lumine, coelum simul et resultat,
Gaudium nobis tribue perenne,
O sancte Petre.

6. Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

Brev. ms. Burgulense saec. 15. Cod. Parisin. 1043.

424. In s. Petri ad Vincula.

1. Christicolarum concio,
Magno redempta pretio,
Laudes pangat cum jubilo
Universorum Domino.

2. Cum quo regnat feliciter
Aulae coelestis claviger,
Petrus, piscator hominum
Pastorque magnus ovium.

3. Quem Herodis crudelitas
Intra carceris tenebras
Olim retrusit saeviens
Poenas inferre moliens.

4. Binisque vinctum nexibus
Custodiendum penitus
Saevissimis custodibus
Tradidit rex saevissimus.

5. Post pascha eum populo
Producere Judaico
Cupiens, ut supplicia
Irrogaret immania.

6. Sed divina clementia
Mira solvit potentia,
Cui tyranni saevitia
Machinabatur talia.

7. Ab aethereis arcibus
Summus descendit angelus,
Jubente coeli principe
Petrum exuit carcere.

8. Hujus, precamur, meritis
Cunctis solvamur vitiis,
Sociari coelicolis
Mereamur sanctissimis.

9. Sit tibi, Christe, gloria
Per infinita saecula
Atque patri ingenito
Cum spiritu paraclito.

Brev. ms. Burguliense saec. 15. Cod. Parisin. 1043.

425. In s. Petri ad Vincula.

Ad Vesperas.

1. Sanctorum decus omnium,
Christe, splendor et praemium,
In beatis solemnibus
Petri fave supplicibus.

2. Hac in die qui carceris
Solvi squalore meruit,
Te annuente Domino
Ductu fertur angelico.

3. Quo suffragante petimus,
Nos absolve reatibus,
Cui solvendi dignitas
Est et ligandi tradita.

4. Laus creatori omnium
Et redemptori gentium,
Procedenti sit gloria
Per infinita saecula.

Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. — 2, 1 Hic in die. — 2, 2 Solvi calore.

426. In s. Petri ad Vincula.

Ad Laudes.

1. Princeps inter egregios,
O Petre, tu discipulos,
Mentis occulta noxiae
Nobis parcendo dilue.

2. Cui claves coelestium
Sunt et concessae nubium,
Nobis illorum januas
Pie, precamur, reseras.

3. Qui catenarum pondere
Es absolutus hodie,
Nos a mundi contagio
Solve jubente Domino.

4. Ut qui lapsus per maria
Christi levaris dextera,
Supplicantes cum laudibus
Muni beatis precibus.

5. Laus creatori omnium.

Brev. ms. S. Trinitatis Pictavien. saec. 15. Cod. Semin. Pictavien. s. n. — 1, 2 O Petre cum discipulos.

427. De s. Petro Tarentasiensi.

Ad Vesperas.

1. Gaude, praesens ecclesia,
Laetam agens memoriam
Sancti Petri praeconia
Resultans atque gloriam.

2. Carnis liber ergastulo
Coeli potitur gloria
Pro meritorum cumulo
Magno in coeli curia.

3. Fama volans cum gratia,
Vita, signa cum ordine
Dant Petro testimonia
De sanctitatis culmine.

4. Trino Deo laus debita
Reddatur atque gloria,
Qui nos per Petri merita
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. A. — Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Parisin. 18000. B. — Brev. ms. Diense saec. 15. Cod. Avenionen. s. n. C. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552). D. — Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518. E. — Brev. Tarentasiense imp. Lugduni 1519. F. — 2, 1 liber erga saeculo A; Bernardi nunc praeconia E. — In E steht der Hymnus zum Feste des hl. Bernhard und lautet infolgedessen Str. 3:

Vox de sursum, fragrantia,
Mira cum coeli lumine
Dant isti testimonia
De sanctitatis culmine.

428. De s. Petro Tarentasiensi.

Ad Nocturnum.

1. Magnae dies laetitiae
Nobis illuxit coelitus,
Petrus ad thronum gloriae
Praesul pervenit inclitus.

2. Petrus Petri ecclesiam
Gubernans perutiliter
Ad petrae Christi gloriam
Tandem venit feliciter.

3. Laetare, Tarentasia,
Tales Petros egregios
Habens in coeli curia
Patronos et propitios.

4. Trino Deo laus debita
Reddatur atque gloria,
Qui nos per Petri merita
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. A. — Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Parisin. 18000. B. — Brev. Tarentasiense imp. Lugduni 1519. C. — 2, 1 Petri Petrus A.

429. De s. Petro Tarentasiensi.

Ad Laudes.

1. Hymnum laudis eximiae
Dulci productum cantico
Noster depromat hodie
Chorus Petro mirifico.

2. Hic post laborum merita
Coelestem intrans curiam
De mercede reposita
Summam habet laetitiam.

3. Hujus sequi vestigia
Da nobis, Christe, jugiter
Et ipsius suffragia
Nos habere perenniter.

4. Trino Deo laus debita
Reddatur atque gloria,
Qui nos per Petri merita
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Lugdunen. 478. A. — Brev. ms. Tarentasiense saec. 15. Cod. Parisin. 18000. B. — Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten 1142 (552). C. — Brev. S. Barnardi in Romanis imp. in Romanis 1518. D. — Brev. Tarentasiense imp. Lugduni 1519. E. — 1, 4 Barnardo permirifico CD. — In C steht der Hymnus zweimal, einmal auf Bernardus, einmal auf Sulpicius.

430. De sancta Praxede.

Ad Nocturnum.

1. Praxedis illustrissima,
Stellarum vincens lumina,
Tuum colentes stadium
Duc ad supernum bravium.

2. Dedisti, virgo, propria
Miseris patrimonia,
Ut corde, verbo, opere
Regi servires gloriae.

3. O rex dulcis, amabilis,
Pro te, puella nobilis,
Mundi liquit fastigia
Tua sequens vestigia.

4. Te quaesumus, rex omnium,
Nos de lacu peccaminum
Virtutum educ lumine
Sacra precante virgine.

5. Ingenito cum filio,
Sancto simul paraclito
Sit honor, virtus, gloria
Per infinita saecula.

Brev. Vasatense imp. Vasati 1530.

431. De sancta Praxede.

Ad Laudes.

1. Jam Praxedis coronatur
inter choros virginum,
Sicut fulgens rosa splendet
semper laudans Dominum.

2. Romae virgo fuit orta
summo fulta numine,
Quo supernae claritatis
potiatur lumine.

3. Vitam duxit angelorum
spretis vanis hominum,
Mitem agnum sequens Christum
scandit ad palatium.

4. Linquens solum, scandens polum
ad superna gaudia,
Ubi manet sine fine
in perenni gloria.

5. O miranda et amanda
Praxedis commercia,
Pro terrenis perituris
assumpsit coelestia.

6. Tui gaudii consortes
fusis sponso precibus,
Virgo sancta, fac nos omnes,
supplices deposcimus.

7. Genitori atque nato
sit honor et gloria,
Spiritui quoque sancto
per aeterna saecula.

Brev. Vasatense imp. Vasati 1530.

432. De sancta Praxede.

Ad Vesp. et Noct.

1. Cantemus totis viribus
Laudes Praxedis virginis,
Quae regnat in coelestibus
Electa, non ex fatuis.

2. Nam vivens in hoc saeculo
Secuta est pro viribus
Doctrinam apostolicam
Mundum spernens cum propriis.

3. Inter Romanas filias.
Primatum ipsa obtinuit,
Deum sequens per omnia
Contempsit jussa principum.

4. Nam sub iniquo judice
Antonino archipraeside
Contra paganam insaniam
Pugnavit Christi famula.

5. Gloria patri Domino,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. S. Albini Andegaven. saec. 15. ex. Cod. Andegaven. 108 A. — Brev. S. Albini Andegaven. imp. Andegavi 1531. B. — 4, 1 Jam sub iniquo A.

433. De sancta Praxede.

Ad Laudes.

1. Symmetrium presbiterum
Simul cum multis aliis
Alebat in hoc titulo
Propriis alimoniis.

2. Sed orta persecutio
In sanctos Dei famulos,
Missis exploratoribus
Ab Antonino tenti sunt.

3. Tunc Christiani milites
Non timentes tyrannidem
Pro fide Christi certantes
Gladio jugulati sunt.

4. Praxedis, Christi famula,
Fervens in sancto spiritu,
De sancta Christi ecclesia
Tulit sanctorum corpora.

5. Ipsam, pro nobis ut oret,
Omnes precemur devote,
Qui Jesum Christum credimus
Natum Maria virgine.

6. Gloria patri Domino,
Gloria unigenito
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. ms. S. Albini Andegaven. saec. 15. ex. Cod. Andegaven. 108 A. — Brev. S. Albini Andegaven. imp. Andegavi 1531. B. — 5, 4 Natum de Maria AB.

434. De sancto Privato.

Ad Vesperas.

1. Jesu, corona martyrum,
Sanctorum splendor omnium,
Rex Christe, patris dextera,
Tu nos clementer visita.

2. Quique Privatum martyrem
Fecisti nobis praesulem,
Concede nobis veniam
Per tanti patris gratiam.

3. Hic etenim sacrosanctam
Dum rexisset ecclesiam,
Inimicorum omnium
Strages tulit non modicum.

4. Sic trinitati unicae
Fidem tenens in pectore
Oves alebat dogmate
Praesenti vita comite.

5. Christi regere dum studes,
Private, acceptas oves,
Palma triumphans laurea
Scandis polorum sidera.

6. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisin. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — 1, 1 corona virginum B. — 5, 1 Christi regebat dum studes A; Spiritu regebat dum studebat B. — 5, 2 Privatus AB. — 5, 4 Scandit AB.

435. De sancto Privato.

Ad Laudes.

1. Sancte Private domine,
Pontifex, martyr inclite,
Tu cum sanctorum agmine
Dignare preces fundere

2. Pro tibi servientibus
Et populis fidelibus,
Et nobis hic psallentibus
Munimen ferto precibus.

3. Et hostis semper invidus,
Antiquus adversarius,
Nihil nocere valeat,
Sed nunc victus procul eat.

4. Et hujus habitaculum
Templi servetur solidum,
Sit hoc inhabitantibus
Pax atque salus omnibus.

5. Depulsis quoque tenebris
Vitiorumque nebulis
Sint sancta nobis lumina
Mundi per cuncta tempora.

6. Hoc praesta, pater luminum,
Tuum per unigenitum
Et spiritum paraclitum,
Qui regis omne saeculum.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Parisien. 1304. A. — Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. B. — 2, 3 hic fehlt A. — 3, 4 nunc fehlt B. — 4, 1 Ut hujus A. — 5, 3 nobis lumina fehlt A. — 5, 4 Mundi per fehlt A. — 6, 1 Hoc fehlt B.

436. De s. Prudentio Besuensi.

1. Festum sacrati martyris
Indicit annus versilis,
Quo scandit ad coelestia
Martyr hic Prudens dindima.

2. Illustri fulgens dogmate,
Dictus Prudentius nomine,
Ex Calagurri praecluus
Enituit Prudentius.

3. Hic postquam consul urbium
Frenos rexit nobilium,
Ad Domini vestigia
Mundi vertit fastigia.

4. Relictis vanitatibus
Se junxit spiritalibus
Et monachalem gratiam
Suscepit per prudentiam.

5. Sacra tenens certamina
Sanctorum laude plurima
Ad passionis gloriam
Hic venit per justitiam.

6. Nunc ergo, martyr optime,
Ora pro nobis sedule,
Ut Jesu Christi lumine
Tecum fruamur aethere.

7. Sit laus patri cum filio
Et flamini paraclito,
Virtus simul potentiae
Omni saeclorum tempore.

Acta SS. Oct. III, 348 ex antiquo Ms. Divionensi saec. 11/12. — 2, 3 praecluis. — 4, 3 monachilem.

437. De sancto Psalmodio.

Ad Vesp. et Noct.

1. Pange Christi et martyris
Psalmodii praeconia,
Cujus vita laudabilis
Coruscavit miraculis.

2. Brandani monasterio
Puerorum consortio
Nutritus est Psalmodius,
Ceteris doctus plenius.

3. Frontis ejus sudoribus
Linitis infirmantibus
Pristina salus redditur,
Infirmitas depellitur.

4. Posito maris medio
Creata est Psalmodio
Insula nova eminens,
Corpus ejus custodiens.

5. Jejuniis, vigiliis,
Immensis abstinentiis
Deo placere studuit,
Amorem mundi renuit.

6. Psalmodi, tuis famulis
Succurre in periculis,
Tuisque simus precibus
Juncti sanctorum sedibus.

7. Praesta, beata trinitas,
Concede, simplex unitas,
Per hunc sanctum egregium
Nobis perenne gaudium.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M. 21.

438. De sancto Psalmodio.

Ad Laudes.

1. Psalmodium collaudemus
Meritis eximium,
Cordis ei praesentemus
Et oris obsequium,
Ut a Christo reportemus
Sempiternum gaudium.

2. Psalmodius amplexatus
Christum totis viribus,
Mundus mundum aspernatus,
Mundi spretis opibus
Coruscavit decoratus
Praeclaris virtutibus.

3. Mirabilis sanctitatis
Irradians titulis,
Fervens igne caritatis,
Praefulgens miraculis
Confert opem sanitatis
Arentibus populis.

4. O Psalmodi, pietatis
Mira vernans gratia,
Post mundanae tempestatis
Varia naufragia
Ad superna claritatis
Nos ducas palatia.

5. Sit laus summo genitori,
Regi regum omnium,
Una Christo redemptori,
Salvatori gentium,
Flamini consolatori
Decus et imperium.

Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M. 21. — 3, 5 opem salutaris.

439. De sancto Quiriaco.

Ad Laudes.

1. Martyr Christi pretiosus,
Quiriacus inclitus
Manus pro abscissione
Ac plumbi liquamine,
Quod suscepit ut devotus
Martyr invictissimus,

2. Nunc exsultat in excelsis
In conspectu Domini,
Recepturus ab eodem
Sine fine gloriam,
Impetret nobis ab ipso
Sempiternam requiem.

3. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Bituricense saec. 14. Cod. Parisin. 745. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Mazarin. 342 (775). B. — 1, 5 Ad suscepit. A.

440. De sancto Quiriaco.

1. Deus, colende conditor
Felixque vitae praestitor,
Regens beata saecula,
Quo cuncta servant gaudia.

2. Tu martyrum victoria
Ac beatorum gloria,
Tu Quiriacum martyrem
Ad summam vehis requiem.

3. Hic per crucis mysterium
Velum sprevit Judaicum,
Percepto sacro lavacro
Potitur vitae bravio.

4. Jam in agone positus
Sub Juliano Caesare
Frustatim scisso corpore
Fide perdurat integra.

5. Tum in fervente cacabo
Antistes Christi mittitur,
Sed summa Dei gratia
Cuncta tormenta superat.

6. Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Brev. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 153. — 2, 1 Te martyrum.

441. De sancto Quintino.

1. Pange, lingua, gloriosi
martyris praeconia,
Senatoris generosi
Festum cole, Gallia,
Vasis custos pretiosi
Gaude, Viromandia.

2. Ambianis praedicatum
Venit Romae filius,
Tentum, caesum, catenatum
Dei solvit nuntius,
Ad certamen praeparatum
Hunc accingens fortius.

3. Carnes frigunt patientis
Adeps, fax, pix, oleum,
Haustus plumbi bullientis
Os invadit aureum,
Sed rorescit in tormentis,
Quidquid erat igneum.

4. Poenas ratus medicinam,
Non abhorret subulas,
Transfigentes secus spinam
Renes, dorsum, scapulas,
Nec rimantem ferri spinam
Decem inter ungulas.

5. Membris tortis, cute scissa
Rastris multifarie,
Caput caesus, voce missa
De secretis gloriae
Evolavit ad promissa
Sub columbae specie.

6. Servant aquis supplumbatum
Undecim quinquennia,
Quem corrumpi dedignatum
Elevans Eusebia,
Nacta lumen desperatum
Hausit duo gaudia.

7. Fodienti sors beata
Proditur Eligio,
Fraglant membra balsamata
Solo sui pretio,
Nox ditescit honorata
Luminari tertio.

8. Elevatum jam in auro
Patrem cernit patria,
Nam victorem dignum lauro
Decet auri gloria,
Cujus rident in thesauro
Sanitatum gaudia.

9. Gloria et honor Deo.

Brev. sec. usum et consuet. ecclesiae collegiatae beatissimi Quintini Viromandensis imp. s. l. et a. — 4, 3 und 5 sind nach mittelalterlicher Auffassung kein reicher Reim, da die Bedeutung des einen Wortes an beiden Stellen eine andere ist. — 4, 6 Decet inter ungulas. — Vor Str. 6 Divisio ad Laudes.

442. In Festo Reliquiarum.

In Vesp. et Noct.

1. Devota plebs, altissimo
Novis exsulta gaudiis
Et tot sanctorum pignora
Dignis effer praeconiis.

2. Nam serti spina durior
Crucisque magna portio
Sunt hujus templi splendidi
Honor, laus, exsultatio.

3. Hanc lacte, crine, tegmine,
Hanc ungue, fuso, calceo
Mater summae clementiae
Urbem dotavit inclitam.

4. Apostolorum, martyrum
Confessorumque ac virginum
Et Martialis incliti
Fragmenta sancta colimus.

5. Per vota tot sanctissima,
Quorum nunc festa ducimus,
Da nobis, Christe, gaudia,
Quae votis, voce poscimus.

6. Precamur, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuos defende subditos.

7. Tibi sit, Christe, gloria,
Qui surrexisti a mortuis
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.

Brev. Rutenense imp. Lugduni 1543. — 4, 4 sancta tollimus.

443. In Festo Reliquiarum.

Ad Laudes.

1. Exsultet mentis gaudio,
Linguis sonet magnalia
Felix Rutenae concio
Colens sanctorum munera.

2. Nos a puncturis liberet,
Quae Christum spina punxerat,
Et nos a morte retrahat
Mors, quam suspensus pertulit.

3. Dulcis parens et optima,
Quae mundo reddis perdita,
Memor naturae deviae
Lapsis implora gratiam.

4. Electi coetus principes,
Apostoli sanctissimi
Confessoresque ac martyres,
Nobis adeste coelitus.

5. O mater Anna virginis,
Quae virgo mater parturit,
Cum virginum tripudiis
Consortes Christi sumite.

6. Precamur, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuos defende subditos.

7. Tibi sit, Christe, gloria.

Brev. Rutenense imp. Lugduni 1543.

444. In Festo Reliquiarum.

Ad Vesperas.

1. In sanctorum reliquiis
Resultet terra gaudiis,
De quorum jam spiritibus
Exsultat coelum laudibus.

2. Spreta carnis lascivia
Famem passi, supplicia,
Adepti sunt trans aethera
Aeterna Christi munera.

3. Quibus in fine temporum
Resumptis glebis corporum
Conjunctum dabis praemium,
Jesu, redemptor omnium.

4. Amictae quae perpetuis
Stolis ut sol perspicuis
Tecum regnabunt animae,
Coeli Deus sanctissime.

5. O quam felix memoria,
Quorum jugis est gloria,
Te vident, lumen luminum,
Jesu, corona virginum.

6. Per eorum precamina
Dimissa culpae sarcina
Perveniamus nitidi
Ad coenam agni providi.

7. Sit laus et jubilatio
Patri, pneumati, filio,
Tribus est una deitas,
O lux beata trinitas.

Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Pianoren. M 91. A. — Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515. B. — 7, 1 Sit laus et B.

445. In Festo Reliquiarum.

Ad Laudes.

1. Quorum coetus angelici
Sub hierarchia triplici
In coelesti jam curia
Sacra canunt solemnia,

2. Corporalem materiam
Venerantes, memoriam
Eorum dignam laudibus
Laetis canamus mentibus.

3. Motus nostros ac opera
Dirigat salutifera
Christus et bonis actibus
Placatus sanctis precibus.

4. Istos in fine sacculi
Vocabit salus populi,
Cum carnali velamine
Augens decoro lumine.

5. Ut horum, Jesu, meritis
Cunctis noxis depositis
Coeli pascamur adipe,
Haec vota clemens accipe.

6. Sumptisque glebis carneis
Cum dotibus sidereis
A dextris digni recipi,
Christo canamus principi.

7. Et ut patrem ingenitum,
Filium et paraclitum,
Te laudemus cum fletibus,
Infunde lumen cordibus.

Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Pianoren. M 91. A. — Brev. Noviomense imp. Parisiis 1515. B.

446. De sancto Remigio.

1. Remigi, praesul inclite,
Patrone gentis Gallicae,
Quem nasciturum mysticus
Praenuntiavit angelus.

2. Qui matrem diu sterilem
Fecisti prole nobilem
Et necdum corpus possidens
Vicinis notus factus es.

3. Qui clerum sive populum
Frequenti caede territum,
Desuetum sorte bellica
Ope servasti coelica.

4. Post haec bellator optimus
Vicisti taetros spiritus
Et perduellem Franciam
Fecisti Deo subditam.

5. Pro tantis ergo meritis
Aeternis gaudes praemiis
Indutus stola candida,
Quam dedit innocentia.

6. Ora pro nobis, quaesumus,
Diem festum colentibus,
Quo finem sumens carneum
Capis vitae commercium.

7. Hic si quid digne canimus,
Decerne tuis laudibus,
Si sonant negligentiae,
Oramus indulgentiam.

8. Per mundi regem Dominum
Sibique natum unicum.
Per spiritum paraclitum,
Qui regnat in perpetuum.

Hymn. ms. Pratense saec. 14. Cod. Parisin. 12040. A. — Psalt. ms. Borkense A 6 saec. 15. B. — Antiph. ms. Borkense A 2 saec. 15. C. — 3, 3 Quosque tu sorte bellica BC. — 6, 3 sumis BC. — Nach Str. 6 schieben BC ein:

Laboris nostri conscius
Suspende poenas precibus,
Ut pace nobis reddita
Psallamus tibi cantica.

7, 1 His si quid C. — 7, 2 Tuis decerne BC. — 7, 3 sonat BC. — 8, 2 Sibique fehlt BC. — 8, 3 Per coaeternum spiritum BC. — 8, 4 Qui vivis BC.

447. De sancto Remigio.

Ad Nocturnum.

1. Psallamus chordis, organo
Pontificum dignissimo,
In nostrorum remedio
Vocitato Remigio.

2. Qui plebi lumen Remicae
Donatus et clarescere,
Hanc illustravit lumine,
Divini verbi semine.

3. Operum in magnalibus
Miris fulgens virtutibus,
Spes in se confidentium,
Suarum custos ovium.

4. Languore pressos reparans,
Nocturnos hostes effugans,
Ad hoc se cunctis dederat,
Ut cunctos lucrifaceret.

5. Sic splendens per magnifica
Sanctitatis insignia,
Hic tandem capitolia
Cum palma petit supera.

6. Nunc, patrone piissime,
Nobis concessus, propere
Ad nos supplices respice,
Vota servorum suscipe.

7. Deo patri sit gloria.

Brev. ms. S. Remigii Remen. saec. 13. Cod. Remen. 290 A. — Brev. ms. Vallis Maurianae saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Carlopolitan. 14. B. — 4, 4 salvos faceret A. — 6, 2 concessu proprie B.

448. De sancto Remigio.

Ad Laudes.

1. Remigi, praesul inclite,
Christi athleta splendide,
Adesto nostris precibus,
Quas pie tibi fundimus.

2. O gloriose pontifex,
Nostrae salutis opifex,
Ut digne demus cantica,
Disrumpe nostra crimina.

3. Adesse tuis famulis
Dignare dux amabilis,
Sentiant nostra pectora
Semper tua munimina.

4. Tu es nostrum refugium,
Tu robur potentissimum,
Tu salus et protectio
Nostraque jubilatio.

5. Dona, creator omnium,
Qui es vita viventium,
Ut precibus Remigii
Te valeamus perfrui.

Brev. ms. S. Remigii Remen. saec. 13. Cod. Remen. 292.

449. De sancto Restituto.

Ad Vesperas.

1. Jesu Christe, rex gloriae,
Tuae virtus potentiae
Per spiritum paraclitum
Nos mundet labe criminum.

2. Per Restituti merita
Nos tua reple gratia,
Ut tibi laudes jugiter
Persolvamus alacriter.

3. Cui lumen et seriem
Oculorum in faciem
Dedisti suis meritis,
Nobis ignosce famulis.

4. Pie pastor egregie,
Restitute sanctissime,
Nostris adesto precibus,
Ut fruamur coelestibus.

5. Ut cum Christus advenerit,
Mercedem dare famulis,
Simul cum sanctis omnibus
Jungat nos poli sedibus.

6. Deo patri et filio,
Sancto simul paraclito
Sit laus semper et gloria
Per saeculorum saecula.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 14. Cod. Parisin. 916.

450. De sancto Restituto.

Ad Laudes.

1. Rex Christe clementissime,
Praesta pacem ecclesiae,
Illam regendo dirige
Nosque fovendo protege.

2. Precibus nos et meritis
Restituti pontificis
In tuo jungas agmine,
Quos redemisti sanguine.

3. Gregem, clerum, pontifices
Catholicosque principes
Conserva sub justitia
Tua favente gratia.

4. Splendor aeterni luminis
Cum igne sacri numinis
Nostra repleant viscera
Per Restituti merita.

5. Opera in nos perfice,
Quae veniente judice
Te, Christe, tibi placita
Sint nobisque proficua.

6. Seraphim, vos intueor
Haec offerreque deprecor,
Vestris orationibus
Ut jungamur coelestibus.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 14. Cod. Parisin. 916.

451. De sancto Roberto.

Ad Vesperas.

1. Rex Christe, vita, veritas,
Pax, fides, spes et caritas,
Nos per ista solemnia
Divina reple gratia.

2. Ut sancto Roberto pie
Laudes canamus hodie,
Qui vivens regulariter
Mundum devicit fortiter.

3. Hic justus, fortis, patiens
Mundanos luxus fugiens
Religionis habitum
Assumens haurit meritum.

4. Quem Dei providentia
Molismensis ecclesia
Primum pastorem habuit,
Sub quo pastore floruit.

5. Tandem perquirens aspera,
Locum mutans et prospera
Radix fuit propaginis
Cisterciensis ordinis.

6. Qui, ut Deus providerat,
Regressus, unde venerat,
Coelesti cruce praevia
Migravit ad coelestia.

7. Precemur ergo Dominum,
Ut nos a labe criminum
Purgatos ejus precibus
Jungat polorum civibus.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Parisin. 1344.

452. De sancto Roberto.

Ad Matutinum.

1. Regi coelestis patriae
Hymnum canamus gloriae,
Sancto Roberto debita
Persolvendo solemnia.

2. Qui rite carnis vitia
Vicit et desideria,
Pro quo supernis gaudiis
Potitur nunc et praemiis.

3. Cultum ecclesiasticum
Et ordinem monasticum
Auxit, ut Deo spiritum
Post vitae daret exitum.

4. Dei nostri potentia
Per ipsius suffragia
Salutem confert languidis
In caritate fervidis.

5. Tuam, Deus, clementiam
Deposcimus et gratiam,
Ut ejus sanctis precibus
Nos jungas coeli civibus.

6. Sit trinitati gloria,
Sit salus individua,
Honor et lux perpetua
Per infinita saecula.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Parisin. 1344.

453. De sancto Romano.

Ad Vesperas.

1. Exsultet conjubilando
Deo nostra concio
In honore tanti patris
tam sanctique praesulis,
Cujus ortum praedixere
patri cives coelici.

2. Hic adeptus pastoralis
dignitatem culminis
Gregem suum propagavit
justeque excoluit,
Multa saepe mira fecit,
quia Deo placuit.

3. Impetu furentis aquae
populum eripuit,
Vas quassatum reparavit
cum liquore chrismatis,
Mystici enim fragrabat
ex odore balsami.

4. Macerando se mactabat
viva Christi hostia,
Illibanda frequentabat
divina mysteria,
Inde sibi Dei sancta
emicuit dextera.

5. Hunc sequamur carnis fluxus
compescendo impetum,
Reparemus nos, effusum
colligendo balsamum,
Nos mactando dextrae Dei
mereamur aditum.

6. Gloriam Christo canamus
in laude pontificis,
Gloriam ut sibi datam
a Deo, quam meruit,
Cum salute jugi suis
impetret oviculis.

Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII°. 20. A. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 201. B. — Brev. Rotomagense imp. 1491. C.

454. De sancto Romano.

Ad Laudes.

1. O praeclare miles Christi
admirandi meriti,
Nasciturum genitori
quem praedixit angelus,
Ut ad regnum renascamur,
adjuva, perpetuum.

2. Ut, quos terra culpa stratos
edidit miseriae,
Tua prece revelatos
reddas coeli gloriae,
Decus omne nunc, Romane,
confessor egregie,

3. Vota precum famulorum
dignare suscipere,
Ut tuis redemptor orbis
assiduis precibus
Nos purgatos a peccatis
jungat coeli civibus.

4. Gloriam canamus Deo
in laude pontificis,
Gloriam ut sibi datam
a Deo, quam meruit,
Cum salute jugi suis
impetret oviculis.

Brev. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 13. Cod. Rotomagen. 192. A. — Brev. ms. Lexoviense saec. 15. Cod. Suessionen. 106. B. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Sangenovefian. BBl. VIII⁰ 20. C. — Brev. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagen. 201. D. — Brev. ms. Lexoviense saec. 15 (Privatbesitz). E. — Brev. Rotomagense imp. Rotomagi 1491. F. — 4, 1 Gloria et honor Deo A; Gloriam Christo C. — 4, 3 ut fehlt B.

455. De sancto Samsone.

1. Samsoni superis associato,
In coelis etiam glorificato
Pangamus, socii, cantica grata,
Ut simus Domino templa sacrata.
Sorde remota.

2. Samson naufragio carnis in isto
Omnino studuit vivere Christo,
Nudo vestis erat, largus egeno
Fundebatque Deo pectore pleno
Congrua vota.

3. Ergo signipotens atque modestus
Illuxit populis ut vir honestus,
Praesul quippe Deo thurificabat
Vel sese potius sacrificabat
Cordis in ara.

4. Gaude, metropolis aula Dolensis,
Samson dux tuus est atque Britannis,
Qui nunc in superis jure locatus
Ut sol irradiat mirificatus
Atria clara.

5. Laus individuae sit deitati
Laus sit summa patri, laus quoque proli,
Laus sit spiritui cuncta replenti,
Laus regum Domino cuncta regenti
Omne per aevum.

Cod. Vatican. Reg. 1351. add. saec. 12 A. — Cod. Parisin. 5350. saec. 14. B. — Erstere Handschrift enthält Carmina Baldrici, abbatis Burguliensis, in Andegavis, der später Bischof von Dol war. Da andere Zuschriften, z. B. fol. 3b nachweislich von ihm sind, so wohl auch diese. — 1, 5 Corde remota B. — 2, 5 vota fehlt B. — 5, 1 sit trinitati A.

456. De sancto Samsone.

1. Claris satus natalibus,
Samson, nitens virtutibus,
Vixit sacerdos inclitus,
Totus supernis deditus.

2. Emetiana patria
Anglos polivit gloria,
Citra Britannos extulit,
Quos archipraesul sustulit.

3. Sacris amictus infulis
Votisque mactus sedulis
Et clarus in miraculis
Sol luxit alter saeculis.

4. Haec est dies, qua spiritum
Ejus catervae coelitum
Videre jungi civibus
Semper Deum cernentibus.

5. Sit trinitati gloria,
Sit perpes excellentia,
Laus unitati sedula
Per saeculorum saecula.

Cod. Vatican. Reg. 1351. add. saec. 12. A. — Cod. Parisin. 5350. saec. 14. B. — 2, 1 Emetia patria B. — 3, 2 Votisque macer B. — Vgl. das zum vorhergehenden Hymnus bemerkte.

457. De Sororibus BMV.

In Vesperis.

1. Pia mater ecclesia
Lacto corde et humili
Depromat clara merita
Sororum matris Domini.

2. Gignit Maria Cleophae
Ex Alpheo discipulos
Christi Thaddaeum, Simonem,
Joseph, minorem Jacobum.

3. Felix Maria Salome
Ex Zebedaeo geminos
Fratres Joannem, Jacobum
Gignit, Jesu carissimos.

4. Spernentes transitoria
Sequuntur hae cum liberis
Redemptoris vestigia,
Non ex favore generis.

5. Jesus, Mariae filius,
Pater, frater et dominus,
Sororum matris precibus
Nos jungat coeli civibus.

6. Sit illi laus et gloria,
Honor, virtus, victoria,
Qui resurgens ex mortuis
Apparuit materteris.

Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Parisien. 13244.

458. De Sororibus BMV.

Ad Laudes.

1. Sorores almae virginis,
Mariae, matris Domini,
Nepotem nunquam deserunt,
Quem toto corde diligunt.

2. Verum Deum et hominem
Mori videntes condolent,
Matrem fere exanimem
Humo jacentem sublevant.

3. Ad monumentum veniunt
Emptis unguentis optimis,
Defunctum non inveniunt,
Hinc terram rigant lacrimis.

4. Sermone blandus angelus
Praedixit mulieribus:
In Galilaea Dominus
Videndus est quantocius.

5. Illae dum pergunt concite,
Apostolis hoc dicere,
Videntes eum vivere
Osculantur pedes Domini.

6. Sit illi laus et gloria,
Honor, virtus, victoria,
Qui resurgens ex mortuis
Apparuit materteris.

Brev. ms. Romanum. saec. 15. Cod. Parisien. 13244.

459. De Sororibus BMV.

Ad Laudes.

1. Chorus colat fidelium
Beatarum solemnium,
Quae cum Maria virgine
Coeli fruuntur lumine.

2. Ad sepulchrum Dominicum
Unguentum ferunt mysticum
Mane prima diluculo,
Orto jam solis spiculo.

3. Ergo, beatae, meritis
Vestris captate subditis,
Ut post mundana funera
Transferamur ad supera.

4. Sit laus patri propitio
Ejusque soli filio
Una cum sancto flamine
Sub uno Dei nomine.

Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisin. 1284. A. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. B. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. C. — Brev. Illerdense imp. Illerdae 1479. D.

460. De Sororibus BMV.

In 2. Vesperis.

1. Exsultet coeli curia,
Resultet haec ecclesia,
Plaudat tellus Provinciae
Deum collaudans hodie.

2. Maritimae confinio
Villa gaude cum gaudio,
Quae sororum suffragiis
Dotaris et reliquiis.

3. Arelatis dioecesis,
Totius expers haeresis.
Intra tuos sunt limites
Corporum sancti stipites.

4. Sororum matris virginis,
Laudum stirpis et nominis,
Duae Christi materterae
Secum gaudent in aethere.

5. Matres et duo Jacobi
Captent, ne simus reprobri,
Dies magna cum venerit,
Et judex summus aderit.

6. Sit laus patri propitio
Ejusque soli filio
Una cum sancto flamine
Sub uno Dei nomine.

Brev. ms. Arelatense saec. 15. Cod. Parisin. 1284. A. — Brev. ms. Aquense saec. 15. Cod. Parisin. 1061. B. — Brev. S. Gudilae. Bruxellen. imp. Parisiis 1516. C. — Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. D. — Brev. Illerdense imp. Illerdae 1479. E. — 3, 1 Arelatensis B. — 5, 1 Matres duorum Jacobi BD. — 6, 1 laus Deo B.

461. De sancto Stephano.

1. Jam rutilat sacrata dies et splendida valde,
Qua mundo colitur toto Stephanus protomartyr.

2. Namque dies hesterna Deum conspexit in arvis,
Natum haec Stephanum celso peperit paradiso.

3. Sic Stephanus, dignis meritis et stemmatis, illo,
Quod nomen resonat, fulget decoratus honore.

4. Sanguineas miscens acies cum gente feroci,
Hic victor meruit claros retulisse triumphos.

5. Nos humiles, martyr redolens, te poscimus omnes,
Horrendi facias hostis vacuisse malignas

6. Insidias et quam veniam pro caede rependis,
Nostris hanc maculis prono refer ore precamur.

7. Sicque Deo nato tribuas haerere supernis,
Cui sit magnifice virtus et honor sine fine.

Brev. ms. Anglicum saec. 10. Cod. Londinen. Harl. 2961. A. — Hymn. ms. Anglo-Saxonicus saec. 11. Cod. Londinen. Vesp. D XII. B. — 3, 2 Hic Stephanus A. — 5, 1 Hos humiles A. — Vgl. Stephenson S. 47.

462. De sancto Stephano.

Ad Vesp. et Noct.

1. Adest beato martyri
Dies dicatata Stephano,
Qui primus est per bravium
Donatus aulae siderum.

2. Aeterna lux per virginem
Cunctis data est mortalibus,
Et nunc per undas sanguinis
Coelos petivit Stephanus.

3. Petrae cadebant undique
Artus necantes candidos,
Et ille voto supplici
Hostes fovebat proprios.

4. Te martyr invictissime,
Deposcimus, promptissime
Ut nos ab omni crimine
Solvas et astris mancipes.

5. Quod ipse nobis annuat,
Qui cuncta verba ponderat,
In trinitatis gloria
Per infinita saecula.

Psalt. ms. Tolosanum saec. 14. Cod. Tolosan. 72. A. — Brev. Agathense imp. Valentiae 1510. B. — Brev. Senonense imp. Parisiis 1519. C. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. D. — Str. 2 fehlt BD. — Der Hymnus steht zum Feste der Translatio S. Stephani, gehört aber inhaltlich dem Natale an.

463. De sancto Stephano.

Ad Laudes.

1. Miles Christi gloriose,
protomartyr Stephane,
Tuo pio interventu
culpas nostras ablue,
Ut coelestis regni sedes
valeamus scandere.

2. Ave pater pretiose,
summo patri proxime,
Admiranda, qua praecellis
apud Deum, gratia,
A commissis nos emunda,
ne cadamus, sustine.

3. Gloria et honor Deo.

Brev. ms. Stephani Divionen. saec. 14. in. Cod. S. Josephi Lugdunen. Y a 5.

464. In Inventione s. Stephani.

1. Jacebant sancta corpora
Occulta multa tempora
Sancti levitae Stephani,
Gamalielis, Nicodemi.

2. Per visum ter apparuit
Gamaliel et monuit
Lucianum presbyterum,
Quem misit ad episcopum

3. Johannem venerabilem
Sanctae Solymae ecclesiae,
Quod illius temporibus
Revelavit altissimus

4. Corpus beati Stephani
Et meum et Nicodemi,
Eorum quippe meritis
Salus dabitur populis.

5. Nuntiavit episcopo
Lucianus sanctissimo
Visionem, quam viderat,
Ut sibi dictum fuerat.

6. Quod praesul mox ut audiit,
Laetus nimium exstitit,
Convocatis episcopis
Certatim terram fodiit.

7. Inventum est sanctissimi
Corpus beati Stephani,
Mox facta est fragrantia
Suavitatis maxima.

8. Septuaginta homines
Mox facti sunt incolumes,
Quicunque venit debilis,
Laetus sua repetiit.

9. Cum hymnis atque laudibus
Et gaudiorum vocibus
Condivit corpus inclitum
In locum condignissimum.

10. Rogemus sanctum Stephanum,
Defendat Christi populum,
Exoret pro fidelibus
Et cunctis peccatoribus.

11. Laus patri sit et filio,
Spiritui paraclito,
Qui coronavit Stephanum,
Benedictus per saecula.

Hymn. ms. Veronensis saec. 10. Cod. Capit. Veronen. 109. — 6, 1 adiit. — 7, 1 Inventus. — 7, 3 flagrantia.

465. In Inventione s. Stephani.

Ad Vesperas.

1. Exsultet nostra concio
Ad haec pia solemnia,
Psallat nostra devotio,
Beata nobis gaudia.

2. Ille, qui clausus tumulo
Longo fuerat tempore,
Revelatur in saeculo
Jam lucis orto sidere.

3. Sol reclusus in nubibus
Refulget super aethera,
Exsultemus cum laudibus,
Lux, ecce, surgit aurea.

4. Ut fertur, vir Gamaliel
Venit ante luciferum,
Quem misit Deus Israel,
Conditor almus siderum.

5. Luciano apparuit
Vir iste nocte media,
Stephanum dignum docuit
Aeterna coeli gloria.

6. Hic passionem fortiter
Pro Christo passus fuerat,
Nunc laetatur feliciter,
Vox clara, ecce, intonat.

7. Rex Christe clementissime,
Tibi laus, tibi gloria
Virtutis invictissimae
In sempiterna saecula.

Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535.

466. In Inventione s. Stephani.

Ad Nocturnum.

1. In his sacris solemniis
Exsultemus cum gaudio,
Reple cor nostrum gaudiis,
Jesu, nostra redemptio.

2. Haec lux serenum conferat
Atris propulsis nubibus,
Quae clausum lumen reserat
Somno refectis artubus.

3. Ora pro nobis jugiter,
Christi miles egregie,
Ne nos condemnet acriter
Splendor paternae gloriae.

4. Quae te vicit clementia,
Ut pro te lapidantibus
Orares ad supplicia?
Exsultet coelum laudibus.

5. Ipsa cogat, ut precibus
Tuis nos super aethera
Ducas, ut dentur omnibus
Aeterna Christi munera.

6. Rex Christe clementissime,
Tibi laus, tibi gloria
Virtutis invictissimae,
In sempiterna saecula.

Brev. Narbonense imp. Carcassonae 1535.

467. In Translatione s. Stephani.

Ad Vesp. et Laud.

1. Festiva dies rutilat
Orbis decorans climata,
Humana cum coelestibus
Divina plaudunt cantica.

2. Stephani admirabilis
Et omni mundo celebris
Plebs ditata prodigiis
Signis atque multimodis.

3. Sacratus ab apostolis
Levita primus merito,
Cunctis prior apostolis
In coeli fulget solio.

4. Corporis ejus hodie
Adest mira translatio,
Quod fultum Dei gratia
Nunc vivit per miracula.

5. Praestet pater et filius,
Praestet amborum spiritus,
Praestet verax et veritas,
Praestet amborum caritas.

Brev. ms. Biturícense saec. 15. Cod. Pianoren. M 21. — 5, 3 via et veritas.

468. De sancto Stephano.

Ad Nocturnum.

1. Stephane martyr, supplices
Te poscimus, ut visites
Nosque Jesu concilies,
Ut simus ipsi compotes.

2. Martyr insignis, supplica,
Quod noxis detur venia,
Christus a malis eximens
Nos ducat ad perennia.

3. Corporis tui hodie
Adest mira translatio,
Quod fultum Dei gratia
Nunc vivit per miracula.

4. Adesto nunc et percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.

Brev. ms. Biturícense saec. 15. Cod. Pianoren. M 51. A. — Brev. Biturícense imp. Venetiis 1481. B. — 1, 3 consimiles B. — 2, 3 exuens B. — 3, 1 Corporis ejus A. — 3, 2 sqq. fehlen AB; vgl. den vorhergehenden Hymnus.

469. De sancto Sulpitio.

Ad Vesperas.

1. Magnae dies laetitiae
Nobis illuxit coelitus,
Thronum conscendit gloriae
Sulpitius vir inclitus.

2. Hic praesul beatissimus
Virtutum fulgens titulis
Ac meritis clarissimus
Cunctis refulsit populis.

3. Clerus Valentinensium
Felici gaudet gloria,
Qui ducem tam egregium
Habet in coeli curia.

4. Trino Deo laus debita
Reddatur atque gloria,
Qui nos per hujus merita
Ducat ad coeli gaudia.

Brev. ms. Valentinense saec. 15. Cod. Atrebaten. 1142 (552).

470. De sancto Swithuno.

1. Aurea lux patriae, Wentana splendet in urbe,
Switnun sanctus adest, aurea lux patriae.

2. Blande patrone, tuis succurre benignus alumnis,
Confer opem famulis, blande patrone tuis.

3. Culmina celsa poli felici calle petisti,
Et nobis aperi culmina celsa poli.

4. Dextera sancta Dei terrae benedixit in omni,
Nos et ubique regat dextera sancta Dei.

5. Euge, beate pater, meritoque et nomine fulgens,
Undique signipotens, euge, beate pater.

6. Fulgida lux hodie nostris lucescit in oris,
Spargit ubique jubar fulgida lux hodie.

7. Gentibus Angligenis solemnia festa recurrunt
Et renovant jubilum gentibus Angligenis.

8. Haec veneranda dies astris arridet et arvis
Estque decora nimis haec veneranda dies.

9. Illa videre tuum meruit super astra meatum,
Digna fuitque obitum illa videre tuum.

10. Kastra beata poli psallunt jubilando tonanti
Congaudentque tibi castra beata poli.

11. Laeta vident Dominum felicia corda piorum
Et tecum jugiter laeta vident Dominum.

12. Mitis ades miseris, relevans a clade catervas,
Languida restituens, mitis ades miseris.

13. Nulla camoena tuas potis est evolvere laudes,
Narrat virtutes nulla camoena tuas.

14. O medicina potens, quae morbida corpora sanas,
Nos sana fragiles, o medicina potens.

15. Protege, sancte, tuos pia per suffragia servos
Nos et ab adversis protege, sancte, tuos.

16. Quae tua cuncta potest insignia promere lingua,
Pangere vox merita quae tua cuncta potest?

17. Regibus ac miseris idem patronus haberis
Subveniens pariter regibus ac miseris.

18. Solve nefas scelerum disrumpe et vincla reorum,
Flebile nostrorum solve nefas scelerum.

19. Te petitore Deus prius est praestare paratus,
Parcit et audivit te petitore Deus.

20. Vox tua celsithronum potis est placare tonantem,
Flectit et ad veniam vox tua celsithronum.

21. Xristus ab arce poli dat te rogitante salutem,
Mittit et omne bonum Christus ab arce poli.

22. Ymnifer iste chorus solvit tibi cantica laetus,
Permaneat gaudens hymnifer iste chorus.

23. Zelus amarus abest, ubi saecla per omnia pax est,
Pax ubi Christus adest, zelus amarus abest.

24. Agmen Amen resonat, quod ibi cum laude triumphat,
Cum Christo regnans agmen Amen resonat.

25. Mens habitans inibi canit Alleluja tonanti,
Exsultans jubilat mens habitans inibi.

26. En tibi, sancte pater, modicum cantavimus hymnum,
Quem commendamus, en tibi, sancte pater.

27. Nomina nostra choro sint sociata superno,
Stent et in angelico nomina nostra choro.

Cod. Londinen. Nero E 1. saec. $^{11}/_{12}$. — „Finit hymnus in honore sancti et beati patris Switnuni, gentis Anglorum pii suffragatoris, editus elegiaco et paracterico, hoc est repercusso carmine, per alphabetum compositus atque in ejus sacratissima depositione sub die sexta nonarii Juliarum, qua feliciter ad regna migravit coelestia, solemniter recitatus."

471. De sancto Theodorico.

Ad Vesp. et Laud.

1. Festiva Christo cantica
Nunc turma fratrum concinat,
Qui semper in sanctis suis
Mirandus et laudabilis.

2. Theodoricum terrea
Et carnis oblectamina
Qui corde fecit spernere
In seque mentem figere.

3. Is ergo spernens saeculum
Christoque sponsam conferens
Coelestis aulae praevium
Sibi petit Remigium.

4. A quo salubri dogmate
Cum doctus esset optime,
Datus pater coenobio,
Fundat poli quod nuntio.

5. Praeclarus hic in dogmate
Et actibus sublimior
Multis parabat perviam
Artam polorum semitam.

6. Divina mox clementia
Miraculis hunc radiat,
Ut verba vitae seminans
Et sanitates conferat.

7. Nam suscitavit unicam
Theodorici filiam
Ipsique regi postea
Lumen restaurat turbidum.

8. Oremus ergo supplices,
Nos hujus ut precatibus
A vitiis Christus levet
Illustretque virtutibus.

9. Sit laus, decus, virtus, honor
Patri, proli, paraclito,
Sit trinitati gloria
Uni Deo per saecula.

Brev. ms. S. Theodorici saec. 12. Cod. Remen. 189 (151). A. — Brev. ms. S. Theodorici saec. 12. Cod. Remen. 193 (190). B. — Brev. ms. S. Theodorici saec. 14. in. Cod. Remen. 191 (207). C. — Brev. ms. S. Theodorici saec. 14. in. Cod. Remen. 192 (208). D. — Der Hymnus ist von Hucbald; vgl. Migne 132, 826.

472. De sancto Theodorico.

Ad Matutinum.

1. Exsultet Domino mente serena
Laudes ac jubilos concio nostra
Solvens almifluis atque colendis
Festis eximii Theodorici.

2. Qui tactus radiis spiritus almi,
Dum transire videt, gaudia mundi
Sprevit, clara figens lumina mentis,
Quo nos certa vocant munera Christi.

3. Hic nam Remigii dogma magistri
Sectans postposuit noxia saecli,
Cui mox coenobii creditur ordo,
Quem digne coluit dogmate claro.

4. In quo mira nitens coelica virtus
Infirmos varia clade levavit
Et regis sobolem ordine miro
Ornando revocat mortis ab antro.

5. Tu nos ergo, pie Christe redemptor,
Istius meritis solve, precamur,
Cunctis criminibus atque beatis
Jungas agminibus lumine regni.

6. Sit laus ingenito gloria patri,
Virtus atque decus sit genitoque,
Majestas similis paraclitoque,
Unus qui Deus est tempore saecli.

Brev. ms. S. Theodorici saec. 12. Cod. Remen. 189 (151). A. — Brev. ms. S. Theodorici saec. 12. Cod. Remen. 193 (190). B. — Brev. ms. S. Theodorici saec. 14. in Cod. Remen. 191 (207). C. — Brev. ms. S. Theodorici saec. 14. in. Cod. Remen. 192 (208). B. — Verfasser ist Hucbald; vgl. Migne l. c.

473. De sancto Theofredo.

Ad Vesperas.

1. Harmonizans mater ecclesia
Novitatis frequenta gaudia
In renascentis filii
Theofredi solemnio,
Palmam miri martyrii
Miro psallens eulogio.

2. Nomen tuum dignum memoria
In aeterna coelorum patria
Mirabilis praeconii
Effertur privilegio,
Tui dum proles gremii
Oboritur martyrio.

3. Nunc ad summam pari concordia
Majestatem regentem omnia
Orthodoxi collegii
Spiret fidelis unio,
Ut tanti primicerii
Obducatur auxilio.

4. O athleta pollens victoria,
In agonis pugna tam anxia
Dux esto contubernii
In tuo jam coenobio,
Affectati denarii
Concurrentis pro bravio.

5. Digna laude, digno praeconio
Lauda regem cum desiderio,
Viri qui tam egregii
Morte mori nescia
Gentes tui confinii
Tutelavit, Vallavia.

6. O pastoris mira dilectio,
Latent oves ejus imperio
Cum ipse sacrificii
Offerri velit hostia,
Eja, tanti patricii
Attollamus praeconia.

7. Mundo spreto mundique gaudio
Ejus almo fulti suffragio,
Aeterni regis gaudii
Sancta colentes praedia,
Sui nos mercenarii
Vitae fruamur gratia.

8. In excelso sedenti solio
Summo patri ejusque filio
Nec non sacro spiramini
Aeterna danti praemia
In signum sit dominii
Omnis ubique gloria.

Brev. ms. Calmiliacense saec. 15. Cod. Parisin. 1278. A. — Findet sich auch in dem Buche: „De l'ancienne Abbaye du Monastier-Saint-Chaffre à Messieurs les abbés d'icelle par le P. Odo de Gissey. Manuscrit inédit publié par Mr. l'Abbé G. Arsac. Le Puy 1878. B. — In B ist der Hymnus in zwei zerlegt, Str. 1—5 mit der Doxologie zur Vesper des Hauptfestes p. 43, der Rest zur Vesper der Übertragungsfeier p. 50 u. f. B. — 4, 1 O fehlt A. — 4, 2 agoniis A. — 5, 3 sq. egregii morte fehlt A; lies emori? — 6, 4 velut A. — 7, 4 Ubique fruamur B. — 8, 2 patri fehlt A; soli filio A. — 8, 5 domini A.

474. De sancto Theofredo.

1. Dulce melos, dulce praeconium
Sancta mater psallat ecclesia,
Cum hymnorum concentu dulcium
Theofredi colens suffragia.

2. Vir beatus, pudoris lilium,
Ave dato dilectis filiis
Ovans durum subit martyrium
Ob amorem Christi Calmiliis.

3. Reverendum ipsius exitum
Veneratur coelestis machina,
Nam paganis parant interitum
Spissa grando crebraque fulmina.

4. Agonista, Johanni similis
Non indigne pudoris lilio,
Par Stephano fit martyr nobilis
Immolatus pari martyrio.

5. Non abhorrens mortis supplicium
Aeternalem vitam consequitur,
O mirandum athletae bravium,
Majestate Dei jam fruitur.

6. Theofrede, trophaei laudibus
Redimitus in coeli curia,
Sanctis tuis orationibus
Nos ad vera duc vitae gaudia.

7. Ubi tecum morte deposita
Intuentes lumen in lumine
Vera semper per tua merita
Oblectemur beatitudine.

8. Summo patri nec non et filio
Ipsorumque sacro spiramini
In excelsis sit jubilatio
Sine fine cujusque termini.

Brev. ms. Calmiliacense saec. 15. Cod. Parisin. 1278. A. — Arsac. l. c. p. 44 (Str. 1—5) und 51 (Str. 5—8) B. — 2, 1 beatus endo lilium A. — 2, 2 Ave fehlt A.

475. De sancto Theofredo.

Ad Laudes.

1. Eja, laudum melos clarum
Hymnorumque dulcium
Boans jam, coenobitarum
Devotum collegium
Calmiliacensium,
Gaude satis et non parum.

2. Dulcius decem chordarum
Perstrepet psalterium,
Intonizet hydraularum
Insigne tripudium,
Ad Dei praeconium
Edens sonos fistularum.

3. Eja, voce nunc amoena
Sono ducta sobrio
Speciosa laude plena
Extollat cum gaudio
Puro corde praevio
Nomen Christi mens serena.

4. Nobis merces ut centena,
Olim quam deceptio
Subtrahit hostis obscaena
In patre primario,
Jugi detur bravio
Aeterna sublata poena.

5. Summo regi studeamus
Attente concinere,
Eo quod nos, quem laudamus,
Voluit accendere
Theofredi sidere,
Radio cujus speramus.

6. Ergo, quidquid peragamus,
Novo laudum genere
Christo grates referamus
Nos de tanti munere
Viri, cujus foedere
Ad vitam perveniamus.

7. O monachorum lucerna
Nobilisque claritas,
Tu pietate superna
In rectas nos semitas
Lucis verae perditas
Lucens dirige lucerna.

8. Servos tuos ut superna
Obumbret aeternitas,
Annuat tua aeterna
Indivisa unitas,
O beata trinitas,
In saecula sempiterna.

Brev. ms. Calmiliacense saec. 15. Cod. Parisin. 1278. A. — Arsac. l. c. p. 49 (Str. 1—5) und 51 (Str. 5—8) B. — 2, 2 Perstrepat A; Perstet et B. — 3, 1 Eja voce nimium amoena B. — 3, 5 corde primo A. — 4, 3 hosti A. — 5, 2 actende A. — 5, 5 sidere fehlt. A. — 7, 5 Lucis venere A.

476. De s. Thoma Cantuariensi.

1. Praefulgens sidus Anglicum,
Jubar ecclesiasticum,
Thomas, decus pontificum,
Preces adverte supplicum.

2. Rubens rosa martyrii
Completo cursu stadii
Palmam subisti bravii
Finis et metae nescii.

3. Innocentum collegio
Te dia dispositio
Addixit ab initio,
Quod patet hoc indicio:

4. Hi sub aetate tenera
Caesi scandunt in aethera,
Tu stans ad matris ubera
Caesus migras ad supera.

5. Et ut vestra martyria
Sunt sibi consimilia,
Sic vestra sunt solemnia
In natali confinia.

6. Sit laus patri ingenito.
Sit patris unigenito,
Sit neumati paraclito
Per infinita saecula.

Cod. Oxonien. Digby 166. saec. $^{14}/_{15}$.

477. De s. Thoma Cantuariensi.

1. A cordis blando carmine
Adusque coeli limitem
Tuum canamus, Domine,
Thomam venustum militem.

2. Beatus pastor anglici
Regis praecepta respuit,
Pro morte regis coelici
Mortale caput praebuit.

3. Causa juris ecclesiae
Praesul datur exsilio,
Post revocatur impie
Martyr effectus gladio.

4. Domus pudici praesulis
Praeda fuit militibus,
Tota proles cum famulis
Relegatur ab urbibus.

5. Emissa est vox coelica
Quae canebat Laetabitur
Et canticorum cantica,
Justus injuste moritur.

6. Canta nunc, Cantuaria,
Laudes nato de virgine,
Qui te beavit gratia
Tanti patroni lumine.

Psalt. ms. Sedunense saec. 14. in. Cod. Valerian. s. n. add. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. B. — Mel.: A solis ortus cardine.

478. De s. Thoma Cantuariensi.

Hymnus alius.

1. Laudet chorus coelestium
Omnisque vivens spiritus
Tanti patris martyrium,
Quem vitae laudat exitus.

2. Templo sacrari pertulit
Portis, seris patentibus
Ultroque caput obtulit
Enses diros vibrantibus.

3. Innocentum hic innocens
Est secutus exitium,
Gestis suis nos edocens,
Salutis dans indicium.

4. Thoma, tutor et tutela
Triumphantis ecclesiae,
Nos tuere, ne plus tela
Nos transfigant nequitiae.

5. Pastor cadens pavimento,
Pasce nos Christi nomine,
Tuo sancto sacramento
Jacentes in hoc flumine.

6. Canta nunc, Cantuaria,
Laudes nato de virgine,
Qui te beavit gratia
Tanti patroni lumine.

Psalt. ms. Sedunense saec. 14. in. Cod. Valerian. s. n. add. saec. $^{14}/_{15}$. A. — Psalt. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. B. — 2, 4 Enses fehlt B. — 4, 2 Lies: Militantis ecclesiae?

479. De sancto Thyrso.

Ad Vesperas.

1. Veni, martyr eximie,
Conserva tuos intimos,
Devotis eis praepara
Beata nobis gaudia.

2. Martyr Thyrsus protrahitur
Praesidente cum Bricio
Intrepidus et affatus
Voxclara, ecce, intonat:

3. Audi, praeses dirissime,
Christum colo purissime,
Unus est Deus omnium,
Conditor almus siderum.

4. Athleta Christi fortius
Agonizando increpat
Baldum tyrannum, superat
Martyr Dei, qui unicum.

5. Patrem fatetur, filium
Et spiritum paraclitum,
Fatetur in martyrio.
Jesu, nostra redemptio,

6. Precibus atque meritis
Thyrsi, martyris incliti,
Tecum simus perenniter
Laute excelsis gaudiis.

Brev. Sistaricense imp. Sistarici anno 1513.

480. De sancto Thyrso.

Ad Laudes.

1. Thyrso orante jugiter
Imminente martyrio
Coelum resplendet breviter,
Crebra fit corruscatio.

2. Vox de coelo intonuit
Dragmatis ministerio,
Epinicia sonuit
Et: Ego sum Alpha et O.

3. Arthalago (!) quem pateris
Propter hunc et opprobria
Fortis athleta resiste,
Ne labamur inertia.

4. Nunc, Christe, supplicum prece
Non sis excors fidelibus,
Sed annue benigniter
Jugis devotis precibus.

5. Divinisque auxiliis
Promissis martyri tuo
Sublevemur a noxiis,
Ut fruamur regno tuo.

6. Precibus atque meritis
Thyrsi martyris incliti
Tecum simus perenniter
Laute excelsis gaudiis.

Brev. Sistaricense imp. Sistarici anno 1513. — 1, 3 resplenduit. — 3, 1 verschrieben.

481. De sancto Tiberio.

Ad Vesperas.

1. Claro Deus praeconio
Abusque terrae limite
Laudetur in Tiberio,
Suo probato milite.

2. Gentilis ignorantia
Fidèle lumen protulit.
Coelestis illi gratia
Immensa dona contulit.

3. Nitente clausus illici
Nequit puer cubiculo,
Sed exteris multiplici
Fulget pugil miraculo.

4. Flagrat, coruscat, concinit
Ibi chorus coelestium,
Hoc Heleas dum conspicit,
Perdit videndi gaudium.

5. Rogatus orat filius,
Patriquc visus redditur,
Pro gratia vir impius
Inferre poenam nititur.

6. Tua, Tiberi, tibia
Sonando semper altius
Nos excitet ad proelia,
Quo dimicemus fortius.

7. Deo patri sit gloria
Ejusque soli filio
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

Propr. Agathense imp Biterris 1616. — Dafs der Hymnus älter ist, als die späte Quelle, zeigt der Reim. Zu Str. 4 und 5 vergl. Anal. XIV a Nr. 87, Str. 6 und 7. Hier ist aus Vitus, Modestus und Crescentia Tiberius Modestus und Florentia geworden.

482. De sancto Tiberio.

Ad Nocturnum.

1. Nocturna Christo cantica
De martyrum praeconiis
Tuba canamus coelica,
Tellus resultet gaudiis.

2. Fert rex volucrum fercula,
Fornax tepens plaudit Deo,
Tormenta cedunt singula
His, qui foventur adeo.

3. Ut haec videt Florentia,
Matrona prudens, illico
Clamat: Dei clementia,
His aggreger, fac, supplico.

4. Exaudit illam protinus,
Qui se precanti dulciter
Adstare nescit eminus
Nec subvenire segniter.

5. Florere nos virtutibus
Tecum fac, o Florentia,
Ut nos polorum civibus
Concinnet innocentia.

6. Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Prop. Agathense imp. Biterris 1616.

483. De sancto Tiberio.

Ad Laudes.

1. Aurora coeli praevia
A nocte lucem separat,
Divina clare munia
Finire nobis imperat.

2. Immane tormenti genus
Catasta nescit laedere,
Per quos Deus suae penus
Potentiae vult pandere.

3. Tellus tremit, tortoribus
Arent lacerti, principi
Manus, salus precantibus
Sancti defertur munere.

4. Lepram, sepulchrum diluit,
Visum pedemque liberat,
Cor arefactum compluit,
Miraculis exuberat.

5. Ut fortiores triplice
Pugnemus in certamine
Tuo, Modeste, nomine,
Tecum fruamur, effice.

6. Te nunc, redemptor, quaesumus,
Ut martyrum consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna saecula.

Prop. Agathense imp. Biterris 1616.

484. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Exultet coelum laudibus,
Resultet terra gaudiis,
In beatis virginibus
Rosae congaudent liliis.

2. Vultu puellae niveo
In fideli certamine
Cum candore virgineo
Roseo vernant sanguine.

3. Non aetati, non sexui
Parcunt hostium jaculae
Nec morte possunt disrui
Verae fidei plantulae.

4. Innocens turba moritur,
Quam nulla culpa maculat,
Sed moriendo nascitur,
Thesaurum coeli bajulat.

5. Jesu, virginis filio,
Jucunda sit laudatio,
Qui virgines in proelio
Dignas fecit martyrio.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Dolen. 39. A. — Brev. ms. Claromontense saec. 15. Cod. Parisin. 1274. B. — 2, 2. In fide certamine A. — 4, 4 coeli maculat AB.

485. De sancta Ursula.

Ad Vesperas.

1. Hortus florum, cors sanctorum,
Est millenorum agminum
Te sequuntur, venerantur,
Jesu, corona virginum.

2. Intrant mare, pugnant clare,
Fit gratum astri lilium,
Jucundatur et laetatur,
Concinat plebs fidelium

3. Stupent mentes, fluunt gentes
Ad regias has nuptias,
Reclinantur et cibantur,
Generat virgo filias.

4. Romam pergunt, inde degunt,
Sequitur eas pontifex,
Poenas optant, pro te portant,
Virginis proles, opifex.

5. Furunt Huri mente duri
Divina contra foedera,
Hos perimunt, qui post sumunt
Aeterna Christi munera.

6. Propinatur, deputatur
Coelorum, his regnum mirum,
Nos quo ducas et conducas,
Rex gloriose martyrum.

7. Horum more tuo rore
Humana lava scelera,
Sicut orant te, adorant
Quem terra, pontus,
aethera.

8. Ipsi decus reddat coetus
Devota promens famina,
Quo lustraris et bearis,
O gloriosa domina.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760. A. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Roman. 1174 (Sessor. 69). B. — 2, 2 gratum astrilidium AB. — 5, 2 Divina cuncta foedera A; Divina confoedera B. — 5, 3 Hos primunt A. — 6, 1 Propinantur B. — 6, 3 Hos quo ducas AB. —

486. De sancta Ursula.

Ad Nocturnum.

1. Plaude, turba virginea,
Virgineos legens flores,
Dege sub recta linea
Hos Ursulae sequens mores.

2. Proles de coelo genita
Ex patre rege nobili,
Ursula post regenita
Modo se rexit humili.

3. In coelesti collegio
Cohabitans mente pura,
Cujus claro consortio
Jungitur regia cura.

4. Decus morum hanc ornavit
Ex fidei constantia,
Martyrii quam probavit
Perfecta tolerantia.

5. En, gratulemur igitur
Sanctis Christi praeconibus,
Per quas mundus devincitur
Suis cum infidelibus.

6. Jesu, lux vera saeculi,
Istarum per suffragium
Tui salvator populi,
Precamur, da subsidium.

7. Laus regi sit intermina
In beatis glorianti,
Quae beata per agmina
Est ubique dominanti.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760. A. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Roman 1476 (Sessor. 69). B.

487. De sancta Ursula.

Ad Laudes.

1. Coetus colat fidelium
Beatae festum Ursulae,
Veneretur consocias
Laude devota sedule.

2. Agnum, quocunque ierit,
Concomitantur laudibus
Et hymnos dulces personant
Istae sonoris vocibus.

3. Formosa Christi Ursula,
Regis nata Britanniae,
Regalem sponsum suscipit,
Regem coelestis patriae.

4. Mare devota Ursula
Ingressa cum trieribus
Sanctorum loca visitat
In Roma cum virginibus.

5. Quae reversae Coloniam
Suscipiunt victoriam
Sui magni certaminis
Effusione sanguinis.

6. Supernorum convivium
Multiplicat collegium
Virginalis militia
Coelesti fruens gloria.

7. Ista una consociant
Fides, unum martyrium
Et unus locus virgines
Atque coronae praemium.

8. Has virgines frequentibus
Rogemus omnes precibus,
Ut dent nobis auxilium
Apud Mariae filium.

Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Parisin. 760. A. — Brev. ms. Franciscan. saec. 15. Cod. Roman. 1176 (Sessor. 69). B. — 1, 3 cum socias A. — 2, 2 Cum comitantur B. — 3, 4 Rege B. — 4, 2 triremibus B. — 8, 1 Vas virgines B.

488. De sancto Victore.

Ad Vesp. et Noct.

1. Jesu, tuorum militum
Transcendens omne meritum,
Ad laudem tui militis
Nos ejus juva meritis.

2. Celebrantes victoriam
Victoris cum laetitia
Fac ad perennem gloriam
Transire cum victoria.

3. Victor, effuso sanguine
Victoris dignus nomine,
Coelo receptus hodie
Palmam tenet victoriae.

4. Vox laudis et laetitiae
Et gratiarum actio
Regi debetur gloriae
Alacriori studio,

5. Cum jam sub virga ferrea
Excussa granum palea
Mola tritum pistoria
Christi fit recens hostia.

6. Pro Victoris victoria
Patri prolique gloria,
Patris prolisque nexui,
Laus sancto sit spiritui.

Brev. ms. S. Victoris Parisien. saec. 14. Cod. Parisin. 14811. A. — Brev. ms. S. Victoris Parisien. saec. 16. Cod. Parisin. 14814. B. — Brev. ms. S. Victoris Parisien. saec. 14. Cod. Mazarin. 347 (760). C. — Brev. ms. S. Victoris Massilien. saec. 15. (Privatbesitz). D. — Die Anfänge der beiden Hymnen citiert auch Antiph. ms. S. Victoris Parisien. saec. 13. Cod. Parisin. 14816. Dieser wie der folgende Hymnus wurde in St. Victor später Adam von St. Victor zugeschrieben. Die Autorschaft läfst sich indes nicht nachweisen. Vgl. L. Gautier, Oeuvres poetiques d'Adam de Saint Victor, II, 441 ff.

489. De sancto Victore.

Ad Laudes.

1. Aurora diem nuntiat,
Et terram ros inebriat,
Nos verus sol justitiae
Rore perfundat gratiae.

2. Lux redit sine nubilo,
Lux festa digna jubilo,
Transcendens mundi nubila,
Chorus, ex corde jubila.

3. Jesu, choro psallentium
Lucis infunde radium,
Te lucem, lucis filium,
Vox una canit omnium.

4. Tibi nostra devotio
Clamat prae cordis gaudio,
Nec lingua potest exprimi,
Quod dictat ardor animi.

5. Prompti sumus et hilares
Victor in tuis laudibus,
Sed laudi tamen impares
Tuis egemus precibus.

6. Pro Victoris victoria
Patri prolique gloria,
Patris prolisque nexui,
Laus sancto sit spiritui.

Brev. ms. S. Victoris Parisien. saec. 14. Cod. Parisin. 14811. A. — Brev. ms. S. Victoris Parisien. saec. 16. Cod. Parisin. 14814. B. — Brev. ms. S. Victoris saec. 14. Cod. Mazarin. 347 (760). C. — Brev. ms. S. Vicioris Massilien. saec. 15 (Privatbesitz). D.

490. De sancto Vincentio.

1. Solemnis redit temporis
Victoria Vincentii,
Ingens revolvit gaudium
Ejus cluens martyrium.

2. O grandia preconia
Et imitanda praemia
Invicti testis Domini,
Bellatoris praecipui!

3. Ignes vicit et gladios,
Tortores atrocissimos
Teterrimosque carceres,
Tenebrosas caligines.

4. Exstingue, martyr, grandia
Discriminum incendia,
Ut puros nos siderea
Sursum receptent gaudia.

5. Ergo te, martyr, supplices
Precamur, ut nos visites
Nosque Jesu concilies,
Ut simus ipsi compotes.

6. Praestet pater et filius,
Praestet amborum spiritus,
Praestet verax et veritas,
Praestet amborum caritas.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109. A. — Brev. ms. Aeduense saec. 13. Cod. Belnen. 26. B. — Brev. ms. Aeduense anni 1440. Cod. Semin. Aeduen. s. n. BC. — Brev. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduen. 123[1]. D. — Brev. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Parisin. 1056. E. — Brev. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Vatican. Reg. 153 F. — Brev. ms. Belnense saec. 15. Cod. Divionen. 112. G. — Brev. ms. Viennense saec. 14. Cod. Parisien. 1285. H. — Brev. Belnense imp. s. l. et a. I. — Brev. Sosmense imp. Parisiis 1519. K. — 1, 1 tempore E. — 1, 3 Ibi revolvit H. — 1, 4 Ejus ducens H. — Str. 2 fehlt AH. — Str. 4 fehlt H. — Str. 5 fehlt AH. — 4, 1 martyr gravia E. — 4, 4 Receptent sursum K. — Die Doxologie lautet in I: Gloria tibi, Domine, Qui natus es de virgine etc.; in AHK:

Cui proli sanctissimo
Cum patre laus ingenito
Sit ab utroque parili
Honorque fuso flamini;

nur ist in der ersten Zeile in H die falsche Initiale Q zugemalt.

491. De sancto Vincentio.

1. Ave, martyr pretiose,
semper invictissime,
Quem triumphis gloriosum
veneramur hodie,
Fave votis famulorum
tibi servientium.

2. Quo purgato a peccatis
tuis oraminibus
Mereamur aulam coeli
scandere perenniter
Et hic frui Christo Deo
per aeterna saecula.

3. Et coronae, qua nitescis,
haeres sacri nominis,
Nos, qui tibi famulamur,
da consortes fieri
Et extorres nigrae mortis
in die judicii.

4. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
Una patri filioque
inclito paraclito,
Cui laus est et potestas
per aeterna saecula.

Brev. Suessionense imp. Parisiis 1533.

492. In Inventione s. Vincentii.

1. Christi miles pretiosus,
Levita Vincentius,
Ut tribunal sponte rogum
Conscendit intrepidus.

2. Cujus salis crepitantis
per corpus minutiae
Sparsim ibant atque prunae
vernabantur sanguine.

3. Inter haec manet immotus
ille Dei famulus,
Orans Christum in sublime
erectis luminibus.

4. Ergo, martyr gloriose,
nobis locum veniae
Apud Deum prece pia,
te precamur, impetra.

5. Gaudiis coelorum tuis
interesse meritis
Mereamur, quem festivis
colimus officiis.

6. Tibi virtus et potestas
sit, beata trinitas,
Da, fruamur sine fine
beatorum requie.

Brev. ms. Matisconense saec. 15. Cod. Lugdunen. 477. A. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1521. B. — 3, 3 sublimi AB. — 3, 4 ereptis A. — Mit diesem Hymnus verwandt, zum Teil identisch ist der kürzere Anal. IV, Nr. 481 und der längere Anal. XVI, Nr. 472 u. f.

493. De sancto Vincentio.

Ad Vesperas.

1. Deum virginis filium,
Pie martyr, propitium,
Vincenti, tua, poscimus,
Redde festa colentibus.

2. Qui victo mortis principe
Ejusque strato milite
Victor sublimis hodie
Regna petisti patriae.

3. Tortor victus erubuit,
Dum non te poena dejicit,
Augmentatur in gloria
Tibi poenalis machina.

4. Judex cruentus aestuat,
Ira mentem exagitat,
Ultra nescit, quid faciat,
Sed se victum abjudicat.

5. Tu jam miles emeritus
Atque coronae conscius
Tendens patris ad solium
Dolores spernis vulnerum.

6. Ergo, miles egregie,
Nos tecum ferre satage,
Ut valeamus coelicae
Participari gloriae.

7. Praestet pater et filius,
Praestet amborum spiritus,
Praestet verax et veritas,
Praestet amborum caritas.

Brev. Silvanectense imp. s. l. et a.

494. De sancto Vincentio.

1. Sanctissimum Vincentium,
Mundi perenne gaudium,
Ecclesiarum praemium,
Prompto canamus spiritu.

2. Quem spe futurae gloriae
Fortissimo certamine
Sub Daciano praeside
Fides sacravit martyrem.

3. Interrogatus concite,
Christum fatetur principem,
Captus, revinctus aspere
Famem, flagella pertulit.

4. Retrusus est in carcerem,
Quo nulla lux accederet,
Praesente sed hoc hospite
Coeleste lumen floruit.

5. Extractus hinc ergastulo
Suspenditur patibulo,
Quod poena praeparaverat,
Adquirit illud gloria.

6. Ut crescerent miracula,
Sancto sepulchrum denegant,
Quem terra non contexerat,
Corvus fuit custodia.

7. Ne quid periret laudibus,
Jactatus est in fluctibus,
Quem serviendo corpori
Revexit unda litori.

8. Tali triumpho nobili
Ad astra victor evolat,
Amori Christi deditus
Exsultat in coelestibus.

9. Deo patri sit gloria.

Hymn. ms. Pratensis saec. 14. Cod. Parisien. 12040. — Brev. ms. Pratense saec. 14. Cod. Parisien. 13239. B. – Hymn. ms. Marchianensis saec. 15. Cod. Duacen. 123. C. — 4, 2 Quod nulla B. —

495. De sancto Vincentio.

Ad Nocturnum.

1. O miles invictissime,
Fortissimorum fortior,
Jam te ipsa saeva et aspera
Tormenta victorem tremunt.

2. Pone hoc caducum vasculum
Compage textum terrea,
Quod dissipatum solvitur,
Et liber in coelum veni.

3. Ergo ut recline mollibus
Retegit auleis caput,
Victor relictis artubus
Coelum capessit spiritus.

4. Te, martyr alme, proprios
Fove, rogamus, servulos
Nobisque coeli gaudia
Obtine prece sedula.

5. Quo tecum facti caelibes
Laudes canamus perpetes,
Patri, nato, paraclito
In saeculorum saecula.

Hymn. ms. Pratensis saec. 14. Cod. Parisien. 12040. A. — Brev. ms. Pratense saec. 14. Cod. Parisien. 13239. B. — Hymn. ms. Marchianensis saec. 15. Cod. Duacen. 123. C. — Str. 1, 2 und 3 aus Prudentius, Peristephanon V. entnommen.

496. De sancto Vincentio.

Ad Laudes.

1. Cernit sibi Vincentius
Adesse, quod speraverat,
Tanti laboris praemium,
Christum, datorem luminum.

2. Quin et frequentes angeli
Stant, alloquuntur cominus,
Quorum unus ore augustior
Compellat his dictis virum:

3. Exsurge, martyr inclite,
Exsurge, securus tui,
Exsurge et almis coetibus
Noster sodalis addere.

4. Quo tecum facti caelibes
Laudes canamus perpetes,
Patri, nato, paraclito
In saeculorum saecula.

Hymn. ms: Pratense saec. 14. Cod. Parisien. 12040. A. — Hymn. ms. Marchianensis saec. 15. Cod. Duacen. 123. B. — Str. 1—3 aus Prudentius, Peristephanon V.

497. De sancto Vito.

1. Jesu, rex regum omnium,
Te laudat lingua hominum,
Quos praecesse mortalibus
Rebus fecisti omnibus.

2. Duo sunt eis tradita,
Quibus rimentur omnia,
Coelestia, terrestria,
Intelligi potentia.

3. Haec sunt sensus et ratio,
Quorum labore singulo
Sensu fiet inventio,
Ratione perfectio.

4. Si sensus nusquam deviat,
Ratio secum ambulat,
Quodsi sensus peccaverit,
Prudens ratio corrigit.

5. Vitus, martyr egregius,
Sprevit, quamvis puerulus,
Plura sensui placita
Ratione adhibita.

6. Quem nec patris dilectio,
Nec fallax auri visio
Potuit unquam flectere
Sancto plenum spiramine.

7. Infusus Christi gratia
Parvipendebat idola,
Rationis consilio
Nulli cessit martyrio.

8. Beati Viti laudibus
Instemus, prout possumus,
Et Deus suis precibus
Subveniat fidelibus.

9. Ei sit honor, gloria
Per infinita saecula,
Martyris Viti merita
Nobis sint ad remedia.

Hymn. ms. Veronensis saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 109.

498. De sancto Winoco.

Ad Vesperas.

1. Rerum cuncta gerens, arbiter orbis,
Jesu, perpetuum cum patre numen,
Irrorans animas imbre salubri,
Reple corda tui flaminis igne.

2. Winoci famuli festa colentes
Primum, summe, tibi vota sacramus,
Tantae militiae solvimus hymnos,
Cujus coelituo lumine fulsit.

3. Ortus nobilibus sanguinis alti
Dimisit patriam, regna parentum,
Quaerens pauperiem schemate vili
Virtutum meruit dote beari.

4. Fari dignus erat nomine pastor,
Cunctis se famulum praetulit actis,
Enitens manibus vel vice servi
Exempla dederat digna sequendi.

5. Virtus ipsa molam summa rotabat,
Fletus dulcifluos ipse trahebat,
Orans multimodam mole farinam
Dignis luminibus cernere stabat.

6. Cernens pravus homo decidit arvis,
Lumen perdiderat, membra, vigorem,
Oravit pius hic, mox fore sanum,
Egit cunctipotens vota precantis.

7. Dilectus superis junctus in astris
Splendet perpetuo munere comptus,
Comptus perpetuis usque coronis
Reddit digna Deo carmina laudum.

8. Sit laus perpetua cunctipotenti
Patri, sitque suae gloria proli,
Sancto spiritui tempore cuncto,
Qui semper Deus est trinus et unus.

Vita ms. S. Winoci saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Bergen. 1. — 2, 4 coelis tuo.

499. De sancto Winoco.

Ad Nocturnum.

1. Audi, poli rex gloriae,
Laudum modos ecclesiae,
Quos corde solvit intimo
Et vocis orat debito.

2. Hoc sole Winocus pater
Sancto solutus corpore
Coelis potens extollitur,
Donatur alto lumine.

3. Stirpis fuit clarae patrum,
Felix fide, plenus Deo,
Summam suae originis
Virtutum augens munere.

4. Cum clarus esset stemmate
Exemplar altum protulit,
Servire, subdi maluit,
Cavit decus ferri sibi.

5. Quantus fuit miraculis,
Quam magnus et stet meritis,
Signorum claret copia,
Pandunt Dei magnalia.

6. Tectorum ignis culmina
Absumpsit aedis robora,
Servantur ejus pignora,
Tum quaequae sibi proxima.

7. Ad tumbam claudus venerat,
Corpus solo jam straverat,
Factus valens exsiliit,
Laudes Deo lactus dedit.

8. Deo patri sit gloria,
Proli patris dignissimae,
Laus flamini altissimo,
Semper decus soli Deo.

Vita ms. S. Winoci saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Bergen. 1.

500. De sancto Winoco.

Ad Laudes.

1. Terris jubar jam spargitur,
Orbi dies refunditur,
Mentes graves pigredine
Juva, Deus justissime.

2. Adsint preces fusae Deo
Patris beati Flandriae,
Munus ferant hic luminis,
Virtutum ornent munere.

3. Coeli repletus lumine
Orbi bonus resplenduit,
Exempla doctor praevius
Ostendit actis omnibus.

4. Mitis, pius, verus pater,
Compassus est valde gravi
Icto viro virga Dei,
Audit preces, lumen dedit.

5. Caecae puellae contulit,
Natura quod negaverat,
Lumen sibi, menti fidem,
Exemplar et mortalibus.

6. Lucem, Jesus, in aethere,
Lumen tuae da gloriae
Servis tuis, omnipotens,
Omnia saeclorum regens.

Vita ms. S. Winoci saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Bergen. 1.

Inhalts-Übersicht.

	Seite
Abbas probatus omnino	222
A cordis blando carmine	264
Ad aulae cujus limina	225
Ad coenam agni providi	145
Adest beato martyri	255
Adest dies laetitiae	129
Adest dies laetitiae	131
Adest dies laetitiae	197
Adest dies laetitiae	230
Adest ejus translatio	229
Adesto nobis inclita	61
Adest triumphus nobilis	222
Ad laudes hujus virginis	130
Ad redemptoris omnium	74
Adstemus mente vigili	96
Ad summi decus principis	214
Ad te Deus gloriose	37
Aeternae vitae praeconis	166
Aeterna lux credentium	73
Aeterne Christe Domine	193
Aeterne Christe Domine	196
Aeterno regi gloriae	41
Aeternum regem gloriae	125
Agnus et leo mitis	14
Alani meritis inclita	46
Almum lumen summum numen	178
Alto et ineffabili	172
Amatum sanctum laudate	48
Ambrosi doctor inclite	50
Andreas Christi famulus	51
Annue gregi pater	160
Antistitis magnifici	162
Antra deserti poenitendi	200
Archangelus in conclave	142
Arcum coeli praefulgidum	65
Armagili celebremus	71
A superna coeli parte	12
Athletae magni Blasii	96
Auctori mirabilium	115
Auctor orbis victor morbis	93
Audi Deus clamantium	103
Audi poli rex gloriae	274
Audite omnes versum	13
Augustine lux doctorum	68
Aurea lux patriae	258
Aurora coeli praevia	266
Aurora diem nuntiat	269
Aurorae lux dum rutilat	219
Auroram dictam sermone	24
Aurora rutilat lucis	114
Aurum datur ut tollatur	226
Ausoni vir egregie	75
Ave colenda trinitas	9
Ave maris stella	22
Ave martyr pretiose	270
Ave mater Anna	55
Ave mater pia	60
Ave matris Dei	62
Ave sponsa Christi	81
Ave virgo gratiosa	22
Beata coeli gaudia	89
Beata nobis gaudia	84
Beati Petri precibus	237
Beatus Christi famulus	26
Cantemus totis viribus	241
Captiva plorant tartara	18
Carceris est caligine	193
Carminibus placet hymnidicis	184
Castor praesul Aptensium	105
Cataldus pudicitiae	105
Celebremus ad honorem	197
Cernit sibi Vincentius	273
Chorus coelestis curiae	192
Chorus colat fidelium	254
Chorus ut praesens laudes	71
Christe benigne hujus	33
Christe cunctorum pariter	189
Christe cunctorum praesulum	94
Christe cunctorum via lux	188
Christe decus ecclesiae	199
Christe patris altissimi	45
Christe qui rex es gloriae	229
Christe redemptor omnium	118
Christe redemptor omnium	145

	Seite
Christe rex vita lux via	35
Christicolarum concio	238
Christianorum numerositati	121
Christi miles congaude de	175
Christi miles pretiosus	271
Christi patris in dextera	236
Christi praesul egregie	72
Christi praesul egregie	156
Christophori collaudemus	107
Christo regi pro milite	181
Clara prius Hiberniae	137
Clara sit cunctis tua	92
Claris satus natalibus	253
Claro Deus praeconio	265
Clarum nomen effunditur	109
Coelestis aulae janitor	52
Coelestis concio	168
Coeli cives adplaudite	119
Coeli cives adplaudite	191
Coeli concentum hodie	111
Coeli laetentur sidera	223
Coeli rorem mellifluum	205
Coeli superna agmina	85
Coelum digne tripudiat	212
Coetus colat fidelium	268
Colatur a fidelibus	132
Confessoris Antonii	67
Concinat nostra concio	113
Concinens festum celebret	103
Confessoris Nicolai	228
Confessorum consortio	104
Congratuletur artifex	53
Cordis oris tripudio	97
Cultorem Christi Blasium	97
De tenebris lux oritur	64
De terra caliginosa	110
Deum virginis filium	271
Deus colende conditor	244
Deus tuorum militum	117
Deus tuorum militum	184
Devota plebs altissimo	246
Devotioni priscae	234
Diem festum celebremus	165
Divinae laudi sedula	124
Divinis donis Aurea	72
Divo Ivoni cantica	167
Dulce melos dulce praeconium	262
Dum messem frater meteret	116
Dum Moderamne pontifex	221
Dum Romae visitat	46
Dum sacerdotum celebrant	29
Dum tuos clerus jubilans	79
Ecce fulget clarissima	233
Ecclesiarum titulus	53
Editus clara generositate	183
Edmundus martyr inclitus	122
Eja laudum melos clarum	263
Erumpamus in laudibus	197
Exsulta cleri concio	69
Exsulta cleri concio	145
Exsulta felix Aedua	31
Exsulta Forojulium	181
Exsulta nunc ecclesia	82
Exsultate jubilate	109
Exsultemus concrepantes	187
Exsultemus venerantes	218
Exsultent Christi milites	146
Exsultent coeli sidera	25
Exsultent gentes gaudiis	66
Exsultent mundi climata	102
Exsultet aula coelica	182
Exsultet chorus omnium	161
Exsultet coeli curia	65
Exsultet coeli curia	160
Exsultet coeli curia	254
Exsultet coeli regia	136
Exsultet coelum laudibus	55
Exsultet coelum laudibus	191
Exsultet coelum laudibus	215
Exsultet coelum laudibus	267
Exsultet conjubilando	251
Exsultet dignis gaudiis	158
Exsultet Domino mente	260
Exsultet mentis gaudio	246
Exsultet nostra concio	257
Exsultet plebs Aquensium	218
Exsultet plebs fidelium	74
Fecundavit hic steriles	227
Felix Anna prae aliis	57
Felix chorus jam sonorus	42
Felix dies jam resurgit	99
Felix mater ecclesia	158
Felix sante o levita	174
Feri fides fida Fidis	131
Festa patris insignia	47
Festiva Christo cantica	260
Festiva dies rutilat	257
Festum colentes annuum	224
Festum Columbae celebre	114
Festum sacrati martyris	243
Fidelium devotio	127
Finnianus lingua gnarus	133
Fulget clara festivitas	172
Gabrielis sancti laudes	142
Gaudeat sancta nunc mater	149
Gaudeat urbs Massilia	99
Gaude fidelis concio	215
Gaude mater ecclesia	88
Gaude mater ecclesia	112
Gaude praesens ecclesia	239
Gaude sponsa Christi	82
Gemma fulgens et monile	201
Gemma fulget duodena	53
Gloriam Deo pangimus	179

	Seite
Gloriosa dies ista	159
Gloriosae civitatis	88
Gloriosae recolentes	201
Gloriosi Laurentii	174
Gonerio decantemus	148
Graeciae gemma clara	170
Gratuletur haec concio	126
Harmonizans mater ecclesia	261
Hic est dies in quo Christi	19
Hieronymi solemnia	153
Hi sacerdotes Domini	28
Hoc in festo decus omne	76
Hoc rite festum gentibus	75
Hortus florum cors sanctorum	267
Hujus virginis laudemus	198
Hujus vitae asperitas	48
Hymnis canamus debitis	192
Hymnis dignum coelestibus	150
Hymnis praedulcibus Magni	186
Hymnum canamus gloriae	194
Hymnum choris coelestibus	210
Hymnum laudis eximiae	240
Hymnum laudis referendo	170
Hymnum vocis personemus	217
Ignis lucens Andronicus	156
Illuxit nobis hodie	77
In Annae puerperio	56
In Christo regeneratus	178
Inclitae virginis sacra	171
Inclitі martyris mira	146
In coelesti hierarchia	185
In ecclesia sanctorum	186
In excelsis generosi	49
Ingrata gens Judaica	18
In hac die solemnitas	164
In his sacris solemniis	257
In honore trinitatis	100
In Katharina virgine	167
In martyrum solemniis	147
In matutinis cantemus	130
In sanctorum reliquiis	246
In sanctorum solemniis	126
Inter cunctos Christicolas	21
In tuae matris utero	23
In vesperi dictamine	17
Iste benignus mitis	180
Jacebant sancta corpora	256
Jam carmine mellifluo	162
Jam corde puro et laeto	27
Jam dudum lux abscondita	64
Jam martyris festa dies	175
Jam Praxedis coronatur	240
Jam puer bonae indolis	182
Jam rutilat sacrata dies	255
Jesu Christe rex gloriae	249
Jesu corona martyrum	242
Jesu corona virginum	232
Jesu qui Deus deorum	33
Jesu redemptor gentium	151
Jesu redemptor unice	95
Jesu rex regum omnium	273
Jesu sanctorum militum	215
Jesu sanctorum omnium	235
Jesu tuorum militum	269
Johannis in principio	164
Joseph virgo castissime	165
Katharinae solemnia	169
Katharinam in carcere	169
Laetabunda solemnitas	80
Laeta plaudat Hibernia	139
Laetetur aula coelica	84
Laetetur hodie tellus	176
Laetetur mater inclita	195
Laetetur omne saeculum	69
Laetetur plebs fidelium	221
Laudemus sanctos spiritus	54
Laudent astra matutina	55
Laudes Christe tibi voce	153
Laudes dicamus Domino	106
Laudet chorus coelestium	264
Laudet Deum diluculo	93
Laudet exsultans Dominum	163
Laudet vocis in jubilo	149
Laurea regni redimitus	123
Laus et corona militum	123
Lingua festum mente pura	231
Lucifer diem inchoat	28
Lucis ortum matutinae	125
Lumen serenum Galliae	155
Lux annua revolvitur	168
Lux prima missa Galliae	177
Magnae dies laetitiae	86
Magnae dies laetitiae	239
Magnae dies laetitiae	258
Magna mater magnae prolis	58
Magna virum resonent	206
Magne Francisci celeber	91
Magnifici Antonii	67
Majole consors procerum	189
Martha matrona nobilis	204
Martyr Christi pretiosus	244
Martyrum felix certantium	146
Martyrum rector diadema	211
Matrem virginis Mariae	59
Maudetus sacer inclitus	209
Miles Christi gloriose	256
Militantis ecclesiae	107
Miranda sancti passio	108
Mitrium Christi pauperum	219
Moderannus ut Moyses	220
Modus in rebus panditur	220
Mundus sub radio collectus	47
Mysterium eximia	157

	Seite
Nam hic quiescens corporis	44
Nicolaus sublimatur	226
Nobilis signis moribus	190
Nocturna Christo cantica	266
Nostris intende laudibus	97
Nostris solemnis saeculis	116
Novis hymnorum modulis	137
Nube mentis religata	124
Nunc tibi Christe carmina	10
Nunc voces socii pangite	128
O athleta victor laeta	143
O Christe rex piissime	33
O coeli sidus lucide	216
Odas phalanx persplendida	158
O gloriosa domina	23
O gloriosa domina	59
O gloriosa domina	61
O locum cultu venerande	213
O Lodovensis civitas	138
O lux beata trinitas	83
O Maria deigena	35
O martyr beatissime	177
O miles invictissime	272
Omnis sanctorum concio	62
O Paule miles inclite	234
Opportunae celebremus	231
O praeclare miles Christi	251
O quam felix suffotio	69
O quam glorifica laudis	78
O quam magnificus quamque	154
O quam mirifica luce	63
O quam praecipiti mersa	129
O quam stelligera sede	134
Orbis immensi Deus alme	43
Ordo ut juris postulat	141
O regis bonitas	128
Ortu solis effugante	45
O vas electum Paule	233
O veneranda trinitas	164
Palma ramum inclinavit	152
Pangat chorus fidelium	195
Pangat chorus laude digna	66
Pangat chorus Lirinensis	155
Pangat nostra Deo	157
Pange Christi et martyris	243
Pange lingua Christophori	106
Pange lingua deiparae	34
Pange lingua gloriosae	57
Pange lingua gloriosae	151
Pange lingua gloriosae	198
Pange lingua gloriosi	225
Pange lingua gloriosi	245
Pange lingua Margaretae	194
Pange lingua Maturini	208
Pange lingua mirifici	105
Pange lingua sacerdotum	30
Patrem patronum speculum	150
Per omnes mundi cardines	199
Phoebi diem fert orbita	98
Pia mater ecclesia	232
Pia mater ecclesia	253
Placatus sanctis meritis	61
Plaudat coelestis curia	222
Plaudat Fulcranni patria	138
Plaudat polorum curia	181
Plaudat turba fidelium	206
Plaudat turba fidelium	230
Plaude turba virginea	268
Post salutaris lavacri	121
Praeclarae vocis organo	217
Praeclaris Helenae	150
Praefulgens sidus anglicum	263
Praxedis illustrissima	240
Prece pulsemus Christi	24
Prima mundi divisio	81
Primo dierum omnium	54
Princeps inter egregios	238
Principum princeps Domini	235
Proles clara Christo cara	90
Proles de coelo pullulat	180
Proles regalis prodiit	185
Promat voce dulcisona	79
Psallamus chordis organo	248
Psallat chorus fidelium	127
Psallat chorus in honorem	173
Psalmodium collaudemus	244
Puer sanctus veneratur	216
Quem in superna patria	44
Quem pia virgo genuit	23
Quem terra pontus aethera	60
Quod seminavit lacrimans	44
Quorum coetus angelici	247
Recolamus passionem	118
Recolentes apostoli	86
Refulge nostris sensibus	85
Refulget dies inclita	206
Regi coelestis patriae	250
Reginae mundi proelia	34
Regis aeterni decus	9
Regis in summi filio	68
Remigi praesul inclite	248
Remigi praesul inclite	249
Rerum cuncta gerens	273
Respiremus in beati	136
Rex aeterne piissime	95
Rex Christe clementissime	249
Rex Christe o piissime	100
Rex Christe vita veritas	250
Rex coelorum et terrarum	204
Rex confessorum inclite	172
Rex Deus nostris faveat	135
Rex gloriose martyrum	43
Rex regum Christe cuncta	113
Rosa crevit de lilio	132

	Seite
Sacrae turbae celebremus	41
Sacri triumphale tui	202
Salve Dei o athleta	99
Samsoni superis	252
Sanctae Marthae praeoptatus	205
Sancta mater ecclesia	50
Sancta mater ecclesia	140
Sancte Dei gloriose	70
Sancte Dei pretiose	17
Sancte Private domine	242
Sancti Georgii martyris	144
Sancti infantes martyres	163
Sanctissimum Vincentium	272
Sancti spirat laus Bernhardi	94
Sanctorum decus omnium	238
Sanctorum merita pangamus	102
Sanctorum praesulum nova	31
Scandit caelum mittens telum	143
Sermone blando nobilem	144
Solemne nobis gaudium	159
Solemnis est haec feria	257
Solemnis redit temporis	270
Solemnitatis annuae	108
Solemnizet laete festa	179
Sopore carnis obruto	72
Sorores almae virginis	253
Speciosus splendens Christe	139
Splendor paternae gloriae	89
Splendor paternae gloriae	127
Splendor paterni luminis	16
Spes mea Christe rex	16
Stella clara et praeclara	111
Stephane martyr supplica	258
Sublime saeclis gaudium	86
Sub paupertatis regula	109
Sume laudis praeconia	196
Summe Deus altissime	70
Summe sacerdos rector	161
Summi pontificis festus	76
Supernae laudis vocibus	58
Surge nec tantum tibi	91
Surgentes a cubilibus	78
Suscipe voces pariterque	32
Symmetrium presbyterum	241
Tali cive progenito	227
Talis ac tanti meriti	29
Tamquam aurum in fornace	200
Te poli cives super astra	209
Terris jubar spargitur	275
Thyrso orante jugiter	265
Tibi Christe splendor patris	141
Tibi saepe loquebantur	50
Tis ingressus et obitus	235
Turba refulsit coelica	95
Tristis venit ad Pilatum	20
Umbra nocturna defluat	125
Unum in tribus colimus	9
Urbis cives Andegavae	183
Urbs Andegava coelitus	211
Ut beatorum validos	120
Ut propheta docuerat	203
Ut quid jubes pusiole	10
Ut tuae vitae Benedicte	87
Ut viso tui tumuli	228
Vacans Lodova laudibus	139
Veneremur Gabrielem	140
Veni martyr eximie	265
Venite et gaudete	12
Verbum supernum prodiens	153
Vere Dominus surrexit	19
Vere plenus munditia	157
Victoris agni sanguine	187
Virginis sacratae cantica	133
Virgo pro Christo moritur	169
Voce digna personemus	112
Votiva cunctis orbita	202
Votiva cunctis orbita	203

Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

19 # 10799

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESC
TORONTO – 5, CANADA

10799